

Quaestiones de dialecto Simonidis Cei, Bacchylidis, Ibyci.

Caput I.

Praemonenda.

In persequendis litteris graecis cum animum quondam intendissem in poemata lyrica, quae saepe mutilata nobis tradita dolemus, quamquam magna tenebar admiratione, cum quantum acuminis ingenii subtilitatisque iudicii et in restituenda et in explicanda carmina collatum esset viderem, diversarum tamen dialectorum quam late paterent varietas et usus, editores non semper recte statuere mihi videbantur. Alia quoque causa operae pretium esse putavi accuratius diversas dialectos a poetis adhibitas examinare atque inter se comparare, cum certius aliquid talibus quoque quaestionibus absolutis, unde posterior disserendi ratio apud Graecos ceperit incrementa, quomodo sit perfecta expolitaque, statui possit.

Nam non unam ut in tragoedia graeca ita in carminibus lyricis inesse dialectum, sed poetas cum ex aliis dialectis tum ex Homericis vocabula formasque petitas inter se iunxisse, iam omnes cognitum habent. Ut autem taceam de eis, qui poetas modo ex hac dialecto modo ex illa formas adhibuisse putent, ut sermoni nescio quam dignitatem granditatemque attribuerent, — quae quam perversa sit sententia ex eis, quae infra disputabuntur, apparebit, — eos quoque, qui consilio poetas dialectos variasse censeant, neglectis praesidiis quibusdam artis criticae non semper certam normam, ex qua scripturae librorum manuscriptorum corrigerentur coniecturaeque virorum doctorum examinarentur, statuere contenderim. Reputantes autem, quomodo carmina ad aetatem nostram pervenerint, quod tantas corruptelas traxerint, non est, cur miremur. Librarii enim, qui poetarum opera describebant, cum a dialecto, quae exstat in libris Thucydidis, Demosthenis, Aristophanis aliorum, proficiscerentur, haud raro formis, quae dialectorum propriae sunt, atticas praeferebant, sive quod ipsi non satis versati erant in formis dialectorum, sive quod in afferendis locis poetarum sententiam, non dialectum respiciebant. Ac ne iusto malignior sim in viros de studiis nostris philologis bene meritos, corruptelae saepe altius ascendunt et scriptoribus ipsis, qui fragmenta plerumque exigui ambitus memoriae tradiderunt, eisdem de causis crimini vertendae sunt. Simili modo fieri poterat, ut epicis quoque formas, praesertim cum cogitemus,

quanto in honore et admiratione parens ille poesis Homerus, quem omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedisse Quintilianus ait (inst. orat. X, 1, 16), apud Graecos fuerit, aut inopinantes aut Homeri imitandi studio commoti in textum inferrent. Itaque propriae formae dialectorum certis finibus a poetis circumscriptae aut angustioribus circumscribentur a librariis vel scriptoribus aut iusto latius patent. Quae cum ita sint, priusquam formas dialecti Simonidis Cei, Bacchylidis, Ibyci colligamus atque examinemus, ne certo quasi fundamento careamus, quaeritur, num inveniri possint, quibus disputatio confirmetur atque stabiliatur. Atque primum quidem, unde unaquaeque huiusmodi quaestio proficisci debet, afferenda sunt, quae veteres grammatici de dialecto trium illorum poetarum praecipunt.

Quamquam e studiis ad dialectum poetarum spectantibus paucas et exiguas reliquias in excerptis Phrynichi, Gregorii Corinthii, Suidae, Hesychii aliorum, raro etiam in congerie illa scholiorum servatas ad aetatem nostram pervenisse dolemus, sententias tamen grammaticorum inscriptionibus in dies pluribus inventis et publici iuris factis saepe valde dubias et perversas esse intelligitur. Ubi quidem de singulis formis praecipue epicis et doricis poetarum praecipunt, saepe testimonia non parvi existimanda sunt, cum aut librorum auctoritas confirmetur aut quae iniquitate temporum corrupta sunt emendentur, ubi autem de universa dialecto poetae cuiusdam, quae fere nunquam una eademque est, statuunt sententiam, paululum fructus ex iis percipi potest.

Suidae testimonium ex eis, quae ad poetas illos pertinent, primum dignum videtur quod commemoremus. Leguntur autem sub verb. *Σιμωνίδης* verba haecce: *Καὶ γέγραπται αὐτῷ Δωρίδι διαλέκτῳ ἢ Καμβύσου καὶ Λακεδόν βασιλεία καὶ Ξέρξου ναυμαχία δι' ἐλεγείας, ἢ δ' ἐν Σαλαμῖνι μελικῶς, Θρηνοί, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, Παιῖνες καὶ τραγωδία καὶ ἄλλα.* Quae verba corrupta recte mihi Bergkianus (cf. ad Sim. eleg. 83*) adhibita Eudociae lectione: *καὶ Ξέρξου ναυμαχία καὶ ἢ ἐπ' Ἀρτεμισίῳ δι' ἐλεγείας, ἢ δ' ἐν Σαλαμῖνι μελικῶς* ita explicare videtur, ut carmina scripsisse dorica dialecto poetam, carmen *εἰς τὴν ἐπ' Ἀρτεμισίῳ ναυμαχίαν* elegiacum, *εἰς τὴν ἐν Σαλαμῖνι* melicum fuisse credamus. Neque fere aliter censet Grammaticus Leidensis post Greg. Corinth. d. dial. doric. p. 635 ed. Schaefer: *κέρχρηται δὲ αὐτῇ (sc. Δωρίδι) Ἀλκιμῶν Στησίχορος Ἴβνκος Βακχυλίδης Ἐπίχαρμος ἢ δὲ χρῆσις αὐτῆς κατὰ διαφορὰν θεωρεῖται.* Quibus verbis Alemanem, Stesichorum, Ibycum, Bacchylidem, Epicharmum dorica dialecto usos esse testatur Grammaticus, cum autem Suidas omnino Simonidem dorica dialecto usum esse dicat, sapienter addit *ἢ δὲ χρῆσις κτλ.* Quod quomodo intelligendum sit, e tertio testimonio quod affert Ioann. Grammat. in Greg. Corinth. p. 372 seq. ed. Schaefer, apparet: *Καὶ τὰτα μὲν περὶ τῆς Δωρίδος. Διαφέρει δὲ ἡ τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ἥπερ ἐχρήσατο Κυψέλας, καὶ ἡ τῶν Λακόνων, ἥπερ Ἀλκιμῶν καὶ Σώφρων ἐστοίχησαν. Ἡ μὲντοι Πινδάρου καὶ Σιμωνίδου καὶ Βακχυλίδου παντελῶς ἐπιτίται (var. lect. ἀγνοεῖται) διὰ τὸ μὴ Δωριεῖς εἶναι φύσει τοὺς ποιητὰς, ἔχει δὲ μόνην αὐτοῖς τὴν διάλεξιν.* Ioannes dicit, dialectum creticam differre a dialecto laconica, qua uterentur Aleman et Sophron, Pindari autem, Bacchylidis, Simonidis, quo in numero nescio an consilio omiserit Ibycum, dialecti rationem omnino constitui non posse, quippe qui a Doriensibus non exorti

*) Numeri sunt editionis III. Bergkianae poet. lyric.

dorica dialecto scripserint carmina. Nisi eo modo verbum *ἀνιέται* explicari non potest vel ut Schaeferi verbis utamur: *παντελῶς ἀνιέται* est prorsus libera, soluta omni vinculo *ιδιότητος τοπικῆς* dialectus. Varia autem lectio *ἀγροῖται*, quam restituit grammatico Koenius et ita interpretari studet, ut *ἀγροῖσθαι* non sit prorsus ignorari, sed non satis constare, ad quam *ὑποδιαίρεσιν τοπικῆν* Dorismus illorum referendus sit, satisfacere non potest.

Colligendum igitur e testimoniis est, iam veteres grammaticos, quamquam non omnes, poetas non mera dorica dialecto usos esse, sed alias quoque formas admiscuisse, recte intellexisse; neque quidquam ultra. Suspiciari quidem e Grammatici Leidensis verbis: *ἡ δὲ χοῆσις κτλ.* possumus, sicut inter dialectum Alemanis et Bacchylidis ita Ibyci et Bacchylidis discrimen quoddam interesse eos cognitum habuisse. Discrimen autem, quod fortasse iam veteres cognoverunt, editores saepius ita neglexerunt, ut ex. gr. Simonidis dialectum ad similitudinem Pindari constituerent. Qua in re cavendum videtur esse, ne alterum praesidium artis criticae, ad quod iam transgredimur, omittamus. Cum grammaticus ille Pindarum et Simonidem eadem dialecto i. e. dorica usos esse dicat, Schneidewinus (Simon. Cei rell. p. XXVI), quem levi discrimine secutus est Bergk, id quod Godofredus Hermannus (op. I, 247) de Pindari dialecto censet: Est Pindari dialectus epica, sed colorem habens doricae, interdum aeolicae dialecti sine ulla dubitatione ita in Simonidem transtulit, ut utrumque poetam eisdem proprietatibus doricae vel aeolicae dialecti usum esse credat. Habet sane Simonides epicam dialectum doricis aeolicisque formis intermixtis; aliis vero finibus Dorismi et Aeolismi apud Simonidem, aliis apud Pindarum circumscripti sunt. Ad arbitrium quidem propriis et peregrinis formis iungendis miram loquendi sartagine efficere poetis aliam vocem e dorica dialecto, aliam ex epica, aliam ex aeolica sumentibus non licuit, sed dialecti variatio pendebat a genere poesis, quod excolebant. Eisdem autem finibus in certae dialecti formis adhibendis non eodem modo cohibebantur poetae. Itaque mea sententia, ne poetae tribuamus, quod ei non est tribuendum, supra codicum vel scriptorum, quibus debemus fragmenta, auctoritatem ascendere non licet. Quod ut exemplo allato explicemus, editores recte femin. part., quae aeolico more productione suppletoria in *-οισα* sonant pro vulgari in *-οισα*, apud Simonidem restituerunt, cum vestigia quidem, quamquam incorrupta nullo loco illa forma legitur, poetam tales formas usurpavisse tradita sint, iniuria autem III. pers. plur. in *-οισιν* exeuntes ad Pindari similitudinem restituerunt, cum in codicibus ne minimum quidem vestigium et quod equidem sciam omnino nullum testimonium exstet, quo haec coniectura commendetur. Sed hac de re infra accuratius disputandum erit. Circumspicientibus autem nobis, quae via in dialecti ratione emendanda, si idem fragmentum a pluribus scriptoribus laudatur, ineunda sit haec offertur lex naturae rei maxime accommodata, ut eae formae, quae a vulgaribus interdum etiam ab epicis recedunt, praeferendae sint, si quidem non adversantur eis praesidiis, quae exposituri sumus et exposuimus. Venio iam ad rationem metricam, quae saepe formas antiquas vel e dialectis petitas tuetur. Nam cum et graecae poesis indole et lyricae natura origineque binas saepe formas poetis in promptu fuisse alteram vulgarem vel poetae dialecti propriam, e peregrina dialecto vel e memoria traditam alteram negari non possit, nobis cavendum est, ne poetas sine diversitate formarum versus componere non potuisse

credamus. Quemadmodum iam in Homericis carminibus *βήμεναι* et *βῆναι*, *τελέσαι* et *τελέσαι* similia exstant, ita in carminibus melicis diversae formae servatae sunt, non fictae, ut in versibus pangendis adiuverent poetas, sed ab antiquis temporibus traditae neque universa graeca poesi alienae. Quam rem non opus est copiosius pertractare, cum neminem futurum esse existimem, qui verb. grat. formas epicae linguae *μοῦνος*, *ξείνος* simil. e textu removendas esse censeat, nisi forte ea regula adhibita magnum numerum versuum extinguere vult. Ut autem fines statuamus, intra quos diversarum dialectorum formis uti poetis licebat, transeamus iam ad quartum praesidium, quod ad formas et in suspicionem vocandas et defendendas maximi est momenti, ad diversa genera poematum. Qua in re praestantem sequimur duces H. L. Ahrensium, virum de graecis dialectis optime meritum.

Docuit autem vir egregius in lectione, quam habuit ante XIII. conventum philologorum anno 1852 Gottingam congregatorum, poetas lyricos in carminibus formas e diversis dialectis ad arbitrium non hausisse, ita ut modo doricam formam modo aeolicam modo epicam adsumerent, ut metri necessitas vel orationis sublimitas postuleret, sed in ea re certas leges observasse, quae eius poesis generis, quo quisque uteretur poeta, naturae accommodatae essent. Quod quantum attineat ad Simonidem, Bacchylidem, Ibycum ante omnia exponendum erit.

Dialectum epicam, qualis in carminibus Homericis et discrimine quodam interposito in Hesiodeis exstat, cum antiquissimam poesis graecae formam fuisse constet, eam quoque poesim, quae ab hexametro derivatur et ita quidem, ut alterius hexametri tertii sextique pedis thesis evanescat, elegiacum metrum dico, eandem fere dialectum ostendere facile intelligitur*). Argumentum autem, quod est in carminibus heroicis, aliud atque in elegiacis est. Nam cum in Homericis carminibus, quae multorum annorum spatio in unum coaluerunt, res a diis vel heroibus gestae memoriae tradantur, optime cum argumento congruit dialectus. Ea enim nunquam una et ut ita dicam viva erat vox, sed ionicus qui pro fundamento habendus est sermo formis temperabatur in scholis poetarum servatis vel ex aliis quoque dialectis haustis. Cum autem in elegiis minime res olim gestae celebrentur, sed affectus animi, omnes obsoletas formas nimiamque varietatem ab argumento abhorreere, sed potius de patria dialecto quaedam poetas mitiori epicae immiscuisse apparet. Ad elegiam proxime accedit neque separari potest epigramma. In epigrammatis autem poetae, quorum in numero Simonides est, paululum suae dialecti non immiscebant, sed quod primus recte Schneidewinus perspexit (cf. Simonid. Cei. rell. p. 140), dialectum variabant ad patriam hominum, quibus scripserunt epigrammata, ut doricis formas invenias in eis epigrammatis, quae Doriensibus scripserunt, atticis in eis, quae Atticis, ita tamen, ut epica dialectus vitatis omnibus nimis obsoletis formis principalis habenda sit. Idem quod statuimus, non unam eandemque quasi regnare dialectum in epigrammatis, multo magis pertinet ad melica carmina, quae epicam dialectum magis minusve doricis vel aeolicis formis temperatam ostendunt. Quod ut explicemus, quomodo poesis melica exulta sit, paucis demonstraturi sumus.

In iambica poesi minime deprehendimus epicam dialectum, sed cum ex ionica

*) De dial. elegiac. et iamb. poes. scripsit Renner in Curt. stud. vol. I, p. 135 seqq.

gente procreata sit, recentiorem Iadem; quam longe haec poesis, qua facta hominum non exponuntur, sed reprehenduntur vel deridentur (cf. *λάπτει λόγοις*), a dignitate Homericæ linguae absit, facile est intellectu. Media quodammodo inter elegiacam et iambicam poesim trochaica posita est, quae cum trochaei quasi „uxores virilium iam-borum non eodem impetu quo iambi incedant“, praeter dialectum Ionum propriam epicam quoque formas praebet. Eandem fere rationem condicionemque quam in iambica poesi observatam videmus in carminibus Aeoliis. Alcaei enim et Sapphus poemata cum ardentibus affectibus animi exprimant, solam patriam dialectum prae se ferre conspicuum est. Cum autem ex Aeoliis quodammodo pendeat Anacreon, in eius carminibus ionicam dialectum, cui aeolicae formae immixtae sunt, invenimus. Dorici poetae Stesichorus, qui artissime cum epicis cohaerere videtur, et Tyrtaeus epicam dialectum doricis formis insertis usurpant. Quod autem Tyrtaeus in embateriis pura fere dorica dialecto usus videtur esse, inde optime explicandum erit, quod eorum carminum, quae in laconica terra quasi procreata sunt, Laedaemonii erant amantissimi. E dorica et aeolica poesi magni illi lyrici Simonides, Bacchylides, Ibycus pendent, itaque eos epicam dialectum doricis aeolicisque formis mitigatam ostendere expectabis. Neque opinio te fefellerit. At cavendum est, ne, quod iam supra monui, unumquemque dialectis eodem modo mixtis uti putemus. Certis finibus in epica dialecto temperanda non cogebantur poetae, genus solum, quod excolebant, statuebat fines, ea tantummodo lege ab omnibus observata, ut formas obsoletas et quae nimis dialectorum propriae essent, vitarent. A principio igitur poetas nunquam formas hyperdoricæ (venia sit verbo) usurpavisse, summa probitate coniciamus.

His igitur quasi fundamentis disputationis praemissis, nonnulla de Simonide adnotanda sunt. Qui cum et melica carmina et epigrammata composuerit, eundem poetam duabus dialectis uti ex eis, quae antecedunt, elucet. In dialecto autem epigrammatum examinanda magno impedimento est, quod cum epigrammatis, quae Simonidis, quem epigrammatum scriptorem primi nisi fallor dicunt Suidas et Tzetzes, esse putantur, multa aperte spuria confusa sunt. Ut enim e titulis discimus, ad epigrammata lapidibus exarata nisi recentissimis temporibus poetarum nomina non adscribebantur. Alexandreae autem et Byzantii bibliothecarum custodes cum catalogos conficerent, in primis ne quod carmen auctore careret curabant. Facile autem fieri potuisse, ut auctoris nomen oblivioni daretur, quis est, qui non intelligat? Itaque carmina poetarum nominibus insigniebantur sive recte sive perperam inventis, hac enim in re viros illos parum religiosos fuisse constat. Ab altera autem parte postquam diligentius inquisitum est, titulis recentioris aetatis poetarum nominibus ornatis confidere desiimus, nam cum genus epigrammatum magis magisque excoleretur, poetae viliores carmina sua male nata scriptori illi celeberrimo, quem res Graecorum contra Persas gestas cecinisse ferebant, subiiciebant. Quamquam igitur ab utraque parte in Simonide peccatum est, diu tamen mira quadam credulitate carmina vere Simonidea putata sunt, quae cum scriptores servaverunt tum Anthologia Palatina, testis mendax et fallax ut non magis alter. Ubi vero dissentiebant viri docti, spuriumne epigramma existimandum esset, non certis argumentis nisi de difficili in hoc genere brevissimorum carminum quaestione diiudicabant, sed e genere dicendi solo vel stilo in carminibus recensendis promebant mo-

menta. Quid vero tali dissensione proficiatur, luculentum praebet exemplum epigr. 106, quod Schneidero ab inepto rhetore fictum videbatur, Schneidewinus a Simonide abiudicabat, Heckerus carmen vel maxime Simonide dignum putabat. Primus quod equidem sciam viam munivit et certis rationibus, usu pronominum *ὄδε* et *ὄδος* nisus epigrammata nonnulla, quae genuina existimabantur, a poeta abiudicavit Junghahnus *). Junghahnium secutus Kaibelius in volumine XXVIII Musei Rhenani pag. 436 seqq. testimoniis auctorum, quae epigrammata servaverunt, in ius vocatis sagacitate qua usus est et felicitate evicit, nonnulla epigrammata Simonidis esse non posse. Cum initio mihi in animo esset simul cum quaestionibus ad dialectum pertinentibus disputationem facere de epigrammatis, quae subditiua videntur, tamen sensim a proposito abstractus solam dialectum pertractare et omnia epigrammata adhibere constitui, ut in unum collata omnium exemplorum copia singulae formae coniungantur atque comparantur, coniuncta comparataque explicentur. Crucem eis epigrammatis appinxi, quae falso Simonidi attributa in editione Bergkiana sub 178—188 continentur. Cum dialecto epigrammatum melicorum carminum Simonidis, Bacchylidis, Ibyci ea de causa coniunxi, quo facilius et quam diversum diversis in carminibus eiusdem poetae genus dicendi sit et quibus rebus dialectus quamquam similis trium lyricorum differat intelligatur. Denique cum nonnullis locis editores non recte Simonidis ad Pindari dialectum restituisse mihi viderentur, eius poetae dialectum cum illorum dialecto comparavi. Qua in re haud mediocri usui mihi erat dissertatio, quam de Pindari dialecto Peter Halis Sax. 1868 conscripsit, qui quamquam diversam in materia congerenda disponendaque atque ego viam et rationem iniiit, magna tamen diligentia formas undique conguessisse videtur. Itaque sufficiat nobis brevitatis studiosis lectorem ad eum delegare.

Caput II.

Simonidis, Bacchylidis, Ibyci dialectus adumbratur et cum Pindari dialecto comparatur.

§ 1.

De consonantibus.

1. De digamma. Priusquam ad digamma examinandum transeamus, verbo quidem attingimus, quod in Sim. carm. 4, 20 exstat verbum *ἐρδη* spiritu aspero instructum. Quamquam et ionica dialectus et aeolica grammaticis testibus psilosim maxime adamabant (cf. e. gr. schol. ad Odyss. 1584, 9: *ψιλῶτικοί γὰρ ὥσπερ Ἴωνες οὕτω καὶ Αἰολεῖς*), loco tamen laudato lectione Platonis Protog. 339 A librorum *Ξε ἐρδει* reiecta editores in textum receperunt *ἐρδη*. Ceterum in Odyssea asperum spiritum scribendum

*) cf. Quaestiones de Simonidis Cei epigrammatis (vierter Jahresbericht über das Luisenstädtische Gymnasium zu Berlin 1869).

esse testimoniis grammaticorum nisus censet La Rochius*), in Hesiodicis autem carminibus verbum uno loco eodem spiritu praeditum traditur, cum aliis fluctuent libri, aliis spiritus lenis legatur**). Huc quoque referendum est, apud Ibycum carm. 1, 5 libros Athenaei ostendere *ἔρνεσι*, cum Stephanus habeat *ἔρνεσιν*. De origine satis obscuro cf. Curtii elem. etymol.⁴, p. 349.

Longam difficilemque quaestionem de digammo paucis astringam et ita, ut nisi ea vocabula, in quibus de littera illa conici potest, non enumerem et pertractem. Quoniam digammi usus neque abhorret ab epica lingua et ab Doribus aequae atque ab Aeolibus diu servabatur, ut culpa librorum in libris manuscriptis saepe oblitteratum in Alemanis, Alcaei, Sapphus adhiberetur, iam ratione lyricos poetas Simonidem, Bacchylidem, Ibycum hanc litteram usurpavisse suspicari licet. In epicis carminibus cum viri docti G. Curtius et qui eius vestigia sequuntur E. Windischius et A. Leskienius, digammatis usum ancipitem fuisse statuerent et ita quidem, ut eis locis, quibus adhiberetur, vetustiore, quibus negligeretur, eius temporis, quo carmina composita essent, usus subesset, lyricos poetas Homerum tantum imitatos adhibitoque digammate praeae aetatis usum secutos esse facile est iudicium subire. Quae sententia de digammatis vi ut in epicis carminibus se habet, in epigrammatis quidem non possumus, quin Homeri imitationem agnoscamus. Quae res inde confirmatur, quod in eisdem vocabulis, quae in epico sermone vestigia digammatis servaverunt, litterae vis retinetur idque, quod plus valet, in eisdem versus sedibus et in formulis e lingua Homericis petitis. Nunquam autem in epigrammatis digamma sufficit, ut syllaba, quae brevi vocali instructa antecedit, ante vocabulum digammo pronuntiatum producat. Sed haec in re non omittendum est, quod propter exiguum ambitum carminum vocum, quibus apud Homerum digammatis vis est, nonnullae non inveniuntur, aliae diverso modo adhibitae sunt. Et ex epigrammatis Simonidis huc spectant exempla haecce:

el. 85, 11: *νήπιοι, οἷς ταύτη κέῖται νόος, οὐδὲ ἴσασι.*

Vox *ἴσασι* ad radicem *Fid* pertinens sexcenties apud Homerum digammi vestigia praebet. Exempli gratia conferas A, 262, ubi hiatus in quinto versu admittitur:

οὐ γὰρ πω τοίους ἴδον ἀνερας οὐδὲ ἰδωμαι.

Ad eandem radicem referendum est *εἰδώς* in epigr. 94, 3:

μάντιος, ὃς τότε κῆρας ἐπερχομένης σάφα εἰδώς,

quocum conferas α, 202: *οὔτε τι μάντις ἐὼν οὐτ' οἰωνῶν σάφα εἰδώς.*

Ceteris autem locis digammi vis eiusdem vocis *ἰδεῖν* evanuit. Conferas exemplum omnium instar in epigr. 123 pentametro: *γαῖ' ἐρατῆς ἤβης πρὶν τέλος ἄκρον ἰδεῖν.*

Neque vocabulum *ἀναξ* adversatur legi, quam supra statuimus. Legitur enim epigr. 172, 3: *δεξάμενοι βλεφάροισι Διωνύσοιο ἀνακτος.*

Quocum conferas A, 322: *ἀντίθειον θεράποντα Μολλίονα τοῦ ἀνακτος.*

In Simonidis melicis fragmentis hiatus admittit *ἰδών* in fragm. 32:

μηδ' ἀνδρα ἰδών ὄλβιον, ὅσσον χρόνον ἔσσεται.

*) Homerische Textkrit. p. 258.

**) Rzach, d. Dialect des Hesiod p. 359.

Semel vero in carmine 37, 18 ultima syllaba vocis *θαρσαλέον* sequente verbo *ἔπος* (a radice *Feπ*), in dactylica arsi (*ὄτι δὲ θαρσαλέον ἔπος*) producitur, quacum productione conferas Pindaricum illud I. VI, 42 *τοιούτων ἔπος*, quod Mommsenius et Bergkii in textum receperunt, cum optimi codices *τοιούτων τι ἔπος*, quod metro repugnat, offerant, alii autem deterioris notae *τοιούτων τ' ἔπος*. cf. Peter l. l. p. 21.

ἔαρ quoque vox, quae a *Feσαρ* derivatur, hiatum efficit in fragmento 74: *ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἀδούθμον*, cum in frag. 73, 2: *χλωραίχενες ελαρινοί* digammi vis evanuisse videatur. Homericis quidem exemplis:

Z, 148: *τηλεθώσα φέει ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὄρη,*

et τ, 519: *καλὸν δείδῃσιν ἔαρος νέον ἰσταμένοιο*

nihil probari potest, cum iam caesura sufficiat ad hiatum vel productionem defendendam. At in Hesiod. op. 477 exstat (ed. Koechly):

εὐχθέων δ' ἴζει πολὺν ἔαρ, οὐδὲ πρὸς ἄλλους,

quo loco cum hiatus in versu Simonidis satis excusetur, cum Rennero l. l. p. 146 fortasse quispiam poetam e communi epicorum fonte nunc iam non aperto hausisse dixerit. Iniuria censeo. Nam qui communis ille fons fuerit, frustra quaerimus. Quamvis magni Homeri auctoritatem existimemus, tamen Hesiodum eadem fuisse parum credibile est. Neque minus veri dissimillimum est, lyricos poetas magnis ingeniis praeditos solas formulas epicas adhibuisse, cui sententiae in epigrammatis adstipulari cogebamur, vel ad similitudinem earum novas formasse. Sed poetae etiam ex aliis fontibus, e ratione disserendi hominum, quibuscum vivebant, hauserunt. Digammatis autem vim Simonidis aetate non evanuisse, sed eam litteram in usu fuisse, tituli, quos vivi sermonis instar habemus, satis testantur. Itaque inspicientes inscriptiones, quasdam et doricis et aeolicis et boeoticis, quae sententia virorum doctorum sub Ol. 50 confectae sunt, multis locis digamma servatum invenimus (cf. Cauer. delect. inscript. p. 110. 130. 135).

Eandem rationem quam in voce *ἔαρ* observatam videmus in vocabulo *ἶον*, quod iam Latinorum viola digammo instructum fuisse docet. Legitur in Bacch. fr. 6: *μύρα καὶ ἶα καὶ ἐλίχρσος*; in Sim. autem epigr. 150 satis suspecto digammi vis non conspicitur. Ut ex Homero quoque afferamus exempla, inspicias sis:

A, 298: *ἦ τε καθαλλομένη ἰοιδέα πόντον ὀρίνει,*

et ε, 72: *ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἶον ἠδὲ σελίνου.*

In *ἐλίχρσος* (a radice *Feλ*) digamma pronuntiatum esse iam latino verbo volvo collato conspicuum est. Productionem syllabae antecedentis in *ἀπάλαμος εἰδώς* et *δοτις ἐρδη* Sim. 5, 3 et 20 neglectam pluris, quam par est, facere eo vetamur, quod non satis constat, quomodo poetae verba pedestri orationi Platonis inserta restituenda sint. Nulla autem re prohibemur, quominus poetam in his exemplis *ἐξ ἀνάκτων* Sim. 36, 2 *ἔπαξ εἰπεῖν* Bacch. 4 *ἄρρητων ἐπέων* 14, 2 digamma pronuntiasse statuamus. Negligitur elisione adhibita Bacch. 31, 6 *σ' ἔλπομαι*, cum 6, 3 productio neglecta initio versus satis excusationis habeat.

Cum Simonide et Bacchylide in eis quas attuli vocibus, quippe quae hiatum admittant, Pindarus facere videtur. cf. Peter. l. l. p. 22.

Ei autem sententiae, quam supra de imitatione epici sermonis statuimus, valde adversari videtur, quod in epigr. 107, 4 vulgo legitur *Φαγνᾶς*, si recto nitimur apo-

grapho. In titulo recentioris aetatis Megaris invento forma traditur *EAFNAE*, quam Boeckhiius interpretatur *Fayvās*. Iure vero interpretationem in suspicionem vocaverim. Nam cum ut ex eis, quae sequuntur, apparebit, etiam in epigrammatis, quae scripsit Doribus, in doricis formis adhibendis praeterquam quod *α* ponit pro *η* littera, non eo progrediatur, ut consuetudinem Homericum sermonis relinquat, veri dissimillimum est, poetam litteram, quam mitior Doris quae vocatur a quarto fere saeculo prorsus respuit, severior autem in *β* mutat, adhibuisse. Ceterum epigramma maximis foedissimisque vitiis depravatum est, tertium pentametrum plane omisit lapicida, ut quomodo sanari possit, valde dubium sit. Itaque mea sententia cum nec apud epicos nec apud ceteros poetas verbum *ἀγνᾶς* digammi vestigium servaverit, lapicida incuriosus signo *E* spiritum asperum expressit. In molesta quadam garrulitate versuum, cum quo quodque vetustius est epigramma atticum eo magis excellat brevitate et in dictionis inelegantia adeo offendit Kaibelius l. l. p. 455, ut num Simonidis sit iure dubitet. Dico quod suspicor. Epigramma in numerum eorum referendum est, quibus poetae admodum mediocres opera sua Simonidis nomine decorata nobilitabant: Simonidi enim attribuitur lemmate carmini praefixo hocce: τὸ ἐπίγραμμα τῶν ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ ἀποθανόντων καὶ κειμένων ἐνταῦθα ἡρώων ἀπολόμενον δὲ τῷ χρόνῳ Ἑλλάδιος ὁ ἀρχιερεὺς ἐπ [εσκεύασε] Σιμωνίδης: Ἑλλάδι καὶ Μεγαρεῦσι κτλ. Tum: μέχρις ἐφ' ἡμῶν δὲ ἡ πόλις καὶ ταῦρον ἐνήγιζεν.

De vocibus, quae cum altera pars antiquissimis temporibus a spiranti inciperet, vocalium contractionem non patiuntur, infra disseretur.

2. De reliquis consonantibus. a. De simplicibus consonantibus perpaucæ adnotanda sunt. Cum permutationem aspiratarum Aeolidis esse dicant (cf. Ahrens d. d. I, p. 42), quamquam fortasse melius Thessalis attribuitur, poetam in voce *Φήρ* adhibita pro vulgari *Φήρ* eius dialecti proprietatem secutum esse existimamus. Optime enim Bergkiius fragmentum 39 ex traditis verbis: τοῦτο γὰρ μάλιστα φηρὸς τόγε πύριγ ita videtur restituisse: τοῦτο γὰρ μάλιστα φήρ ἔστνγε πύριγ. Ubi autem sermo est de centauro, et Pindarum et Homerum eam vocem adhibere constat. Cf. ex. gr. *A* 268.

Porro et Simonides et Pindarus consentiunt in forma *Φερσεφόνη* usurpata pro vulgari *Περσεφόνη*, illa enim apud Pindarum tribus locis optimis codicibus confirmata legitur, unde Boeckhiius quarto loco eam restituit, apud Simonidem exstat in ep. 124, 4.

Ut autem littera *σ* ante consonantem vetustiore more in lingua et Homeri et Hesiodi saepius servatum est, ut e. gr. *σικρός* alternet cum *μικρός*, ita in Simonidis 41, 2 libris traditur *σιδναμένα*, quam formam vestutiorem et propius accedentem ad radicem *σχεδ* Bergkiius Schneidewinum secutus in formam recentiorem *κιδναμένα* mutavit. Nullo autem modo probari potest, Schneidewinum in Simonidem formas *ὄριγες* pro tradito, *ὄριδες* frag. 40, 2, *γλεφάροις* pro *βλεφάροις* 58, 4 *ἐολόν* 5, 10 pro *ἐσθλόν* et id quidem Boeckhio praecunte nulla auctoritate codicum fretum intulisse, cum ne minimum quidem testimonium exstet, Simonidem tales formas, quae Aeolibus propriae erant (cf. Ahrens d. d. I, 42; II, 81), usurpavisse. Idem quod Schneidewinus in Simonide, peccavit in Bacchylide Nevius, cum fr. 12 eodem Boeckhio auctore *γλεφάρων* in editionem reciperet. Pindarum quidem quamquam libri fluctuant, eis formis

non abstinuisse, ut etiam grammatici testantur (cf. Gregorius Corinth. p. 213 Schaefer), verisimile est; alio enim modo cur librarii tales formas usitatoribus praetulerint, intelligi non potest.

Assimilatio quaedam, qua δ littera ante μ sequentem in σ transire solet, interdum in ionica et aeolica dialecto negligitur (cf. Kühner, gramm. I, p. 125). Unum exstat exemplum in Sim. fr. 74, 1 *ἔδνóδμον*. Pindari plures voces praeter eam, quae legitur frag. 106, 6, inspicias apud Petrum p. 20. Venio iam

b. ad consonas geminatas positas pro simplicibus in vulgari lingua usitatis. Qua in re saepius consentiunt dialecti et epica et dorica et lesbiaca, cum Ias recentior et Atthis simplices litteras praebant.

Ac primum quidem huc referendae sunt litterae $\sigma\sigma$ futuri et aoristi, quarum de origine diiudicare saepe difficillimum est. Nam sententiam, poetam „metri gratia“ formam modo una littera modo duabus instructam usurpare, vix opus est refellere neque quemquam ex eis, qui leges grammaticae comparatae tenent, futurum esse credo, qui ei sententiae assentiatur. Exempla autem apud Simonidem verbum *τελέω* praebet, cuius altera stirps in *τέλος* = *τελεσ-*, conspicitur, in *τελέσαντες* fr. 36, 4 et in epigr. 82, 2, cum quod simplex σ utroque loco exstat, metro adversetur. Quod vero uno loco, in epigr. 151, 3 *τελέσαντες* legitur, non mirabitur, qui Homericum usum cognitum habet. Neque aliter res se habet in *μαχεσσάμενοι* + epigr. 182, 2, quod ad stirpem *μαχεσ-* recedit (cf. Curtius elem. etym. p. 327); futuri formam *ἔσσειται* (cod. *ἔσσειται*) fr. 32, 2 hoc loco adiungimus (cf. as-ja-ti). Qua in re facit cum Simonide ex imitatione Homeri Pindarus.

Porro deprehendimus $\sigma\sigma$ in dativi determinationibus in *εσσι* exeuntibus, quae in tab. Heracl. sonant in *-ασσι*. Duo autem genera formationis distinguenda sunt, quorum in altero determinatio *σι* ultimae litterae affigitur, in altero *-σσι* assimilatione ex *-σφι* exortum vocali copulativa stirpi adiungitur. Conferas *χειρὶ βεσσι* in Sim. frag. 44, 1, in Bacch. 21 *πάντεσσι*. Vulgares formae sunt *ἄνθεσι* in Sim. 47, 1 Ibyc. 5, 5.

Denique $\sigma\sigma$ inveniuntur in his vocibus singularibus:

μέσσοι Sim. el. 84, 1, in qua iam lingua latina adiuvante duplex littera explicatur.

ῥοσον in Sim. 32, 2, quam vocem ex jotios *-δτιος -δσιος -δσος -ῥοσος* exortam esse existima; elisa littera *j* evadit *ῥοςος*, quod exstat ep. 102, 1, *τοσσάκι* legitur ep. 145, 3 quocum conferas Latinorum *toti-es*; coniectura formam *τοσσάδε* (libri *τοσσάδε*) Sim. fr. 10, 1 restituit Bergk.

ν litteram duplicatam invenimus in *ἐννοσίφυλλος* Sim. 41, 1, quod ex *ἐνφοσίφυλλος* factum esse mihi Brugmanus persuasit (cf. Curt. stud. vol. III, 97) et in forma Lesbiorum propria *κλεενόν* (libri *κλέενόν*) epigr. 120, 3, quae ex *κλεσονόν* exorta est, ut idem Brugmanus aliis iam praeuentibus statuit. Ut Pindarum afferamus, inspicias e. g. P. III, 20.

Denique in editionibus legimus formam *ἀενάοις* uno ν instructum, cum 10, 2 Diog. Laert. libri uno Mon. excepto habeant *ἀεννάοις*, frag. 9, 9 autem libri Diod. Secul. XI, 11 praeter codicem L praeferunt simplicem litteram ν . In epigr. 120 traditur forma, quam metrum quoque postulat, uno ν praedita.

§ 2.

De vocalibus.

A. De brevibus vocalibus. Duriorum quas Curtius vocat vocalium a, e, o populis indogermanicis a solam litteram notam fuisse, quae ubi brevis est, in lingua graeca modo in ε modo in ο mutatur, constat. Quoniam autem exempla, in quibus dialecti et saepe partes dialectorum servaverunt priorem illam litteram α, quae in vulgari lingua in ε vel in ο mutata est, occurrunt, Dores, ut in universum dicam, antiquioris illius litterae amantiore erant, cum Aeoles et maxime Iones mutationem offerant. Sed certam legem statuere frustra quaesiveris, nam apud Iones quoque exempla servatae illius litterae inveniuntur, ut ex c. μέγαθος (fortasse etiam Doric. cf. Ahrens d. d. II, 116). Plurima tamen procul dubio apud Dores exstant. Itaque scriptam habemus antiquissimam illam dativi determinationem, quae in -ασσι sonat, in tabulis Heracl., porro ἰαρός rell., apud Locros φάσειν rell. Ut ad Simonidem transitum faciamus, quodammodo hue referri potest ἰσοφαρίζειν epigr. Sim. 146, 1, quae forma, quod non est negligendum, iam apud Homerum legitur. cf. Z, 101. Φ, 411. In melicis carminibus non exstat eiusmodi exemplum neque apud Simonidem neque apud Bacchylidem, cum Pindarus complura habeat. Cf. σιαρός Pindari cum σιερός Simonidis. Apud Ibycum autem adverbiorum temporis, quae apud Dores testibus grammaticis in οα pro vulgari οτε exeunt, exemplum ὄα in fr. 4 priscam vocalem servavit neque minus in hac voce, quacum conferas doricās πόκα, τόκα, pristina littera gutturalis, quae in sanser. ká, latino -que conspicitur, locum obtinuit. cf. Curtius elem. etym. 479.

Quas formas ut explicaret, rectam viam ingressus est Allenius (Stud. vol. III, p. 229 seqq.), qui refutata Ahrensii sententia, Dores rudiore pronuntiatione ε in α mutavisse, Curtium secutus in his vocabulis pristinam litteram α servatam esse censet. Diphthongus αι in dialectis et aeolica et dorica aequae atque in Athide ita interdum correpta est, ut ι littera eiecta α breve aut longum remaneret. Cuius brevis litterae Sim. adhibet exemplum ναέταν 57. Sed ea aetate correptionem factam esse putamus, qua ι vocalis vis tam longe a spirantis natura aberat, ut facultatem prioris vocalis producendae amisisset. cf. Ahrens. d. d. I, 100. II, 188.

ο dorico more legitur in nomine proprio Κόρυθα Sim. ep. 152, 1 et in τέτορες ep. 91, 2. Corcyraeos nomen insulae Κόρυθα pronuntiasse et titulis et nummis satis confirmatur. cf. Ahrens d. d. II, 123. τέτορες autem forma omnibus Doribus communis videtur fuisse. Discrepant quidem loco laudato libri vel scriptores, cum Aristides sicut Diodori cod. L τέταρες, K τέτορες, Anthologia τέτορες offerat. forma τέτορες, quae Ahrensi improbanda videbatur, latino quattuor respondet. Ex Indogermanico enim katvar- descenderunt stirpes περφαρ- (aeol.) et τερφαρ-, ex qua τετταρ- et τεσσαρ- assimilatione exorta sunt, cum digamma in τετορ- evanuerit, vestigio in fusco vocalis colore relicto, sicut etiam in verbo κοθαρός, quod legitur in tab. Heracl., ο vocalis gutturali consonae videtur deberi. Sed ut redeamus ad formam τέτορες, totum epigramma spurium esse censuerim. Quamquam enim poeta aptat dialectum patriae hominum, quibus composuit epigrammata, nunquam tamen, ut iam supra monui, reconditiores doricās formas adhibet nonnullis exemplis, de quibus disseretur,

exceptis, sed notissimum illum Dorismum, ut α ponat, quod Iones molliiebant in η . Quod sane quamquam ad diiudicandum non sufficit, utrum Simonidis sit epigramma necne, tamen cum aliae eaeque firmiores iudicii offeruntur ansae, per se censemus non spernendum esse. Demonstravit autem Kaibelius, ut breviter eius sententiam repetam, et Herodoti et Aristidis testimonia parvi facienda esse. Enarrata enim pugna ad Thermopylas commissa Herodotus haec dicit: *Θαφθεῖσι δὲ σφι αὐτοῦ ταύτη τῆ περ ἔπεσον καὶ τοῖσι πρότερον τελευτήσασι ἢ ὑπὸ Λεωνίδεω ἀποπεμφθέντας οἴχεσθαι, ἐπιγέγραπται γράμματα λέγοντα τάδε.*

Μυριάσιν ποτὲ τῇ δὲ κτέ. ep. 91 *ταῦτα μὲν δὴ τοῖσι πᾶσι ἐπιγέγραπται, τοῖσι δὲ Σπαρτιαῖται ἰδίῃ.*

ὦ ξενὶ ἄγγελον κτέ. ep. 92 *Ἀκαδαιμονίοισι μὲν δὴ τοῦτο, τῷ δὲ μάντι τόδε Μνῆμα τόδε κλείοιο Μεγιστία* ep. 94 *ἐπιγράμμασι μὲν νῦν καὶ στίλῃσι ἔξω ἢ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα Ἀμφικτύονες εἰσὶ σφρας οἱ ἐπικοσμήσαντες· τὸ δὲ τοῦ μάντιος Μεγιστίω Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπεός ἐστι κατὰ ξενίην ὁ ἐπιγράφας.* Recte Kaibelius his verbis Amphictyones ceterorum epigrammata facienda curavisse, Simonidem autem hospitis tumulum carmine ornavisse Herodotum auctorem esse colligit. Itaque cum Simonidis nomen afferat, ceterorum autem omittat, scriptorem nescisse eum, qui versus composuisset statuendum est. Cum autem Herodotus, sine dubio testis gravissimus, quis carmen composuerit, nesciat, aliorum ut Ciceronis (Tusc. I, 42) et Anthologiae testimonia nihili existimanda sunt.

Aristidis testimonio non probari, epigramma Simonidis esse, idem Kaibelius sagaci qua usus est interpretatione evincit. Aristides enim vituperans (vol. II, p. 511 seqq. Dindorf), qui ipsi se nimia laude extulerint etiam ad sepulcrorum et anathematum epigrammata magniloqua provocat haec:

Ἀμφὶ δὲ Βυζάντειαν ὄσοι θάνον, ἰχθυόεσσαν ep. 102.

Ἑλλήνων προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι ep. 90.

Ἐξ οὗ Ἐδρόπην Ἀσίας δίχα πόντος ἐνεμειν ep. 142.

Ἐθνεα Βοιωτῶν καὶ Χαλκιδέων θαμάσαντες ep. 132.

Μυριάσι ποτὲ τριακοσίας ἐμάχοντο ep. 91.

Ἀκμᾶς ἑστακῆσαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν ep. 99

tum pergīt: *ὥστε ὅρα σοι σκόπτειν αὐτοῦς ὡς ἀδολέσχας τινὰς νεκροῦς καὶ οὐκ εἰδότας ἡονχίαν ἄγειν. κατὰ σε ἀνὴρ τις Σιμωνίδειος ἀμείψεται, ὦνθρωπε, κῆσαι ζῶν ἔτι μᾶλλον τῶν ὑπὸ γῆς ἐκείνων.*

Qui hoc respondet cum afferat versum Simonideum (cf. frag. 60), eum bene versatum esse in Simonidis carminibus, non vero Simonidem auctorem illorum epigrammatum nominasse concludendum est. Denique cum, quod Kaibelius quoque perspexit, accedat, ut complura quae Aristides anonyma affert epigrammata, Simonidis esse non possint, epigramma illud Simonidi non diutius vindicabimus.

B. De longis vocalibus. I. Dores Aeolesque saepe α litteram tenaciter servabant, quam Homerus et Ias recentior molliiebant in η .

Itaque habes α pro η positum

a. in determinationibus primae declinationis. Atque in melicis quidem carminibus doricam formam semper restituendam esse puto; poetam enim hoc loco et illo

quasi piperis granum formam vulgarem immiscuisse, ut carmina nescio quo condimento aspergeret, quis est, qui talem sententiam tueatur? Omnes locos, ubi in *a* littera usurpata libri consentiunt, enumerare nos taedet, eos autem, ubi libri adversantur legi, corrigere non dubito. Legitur in carmine 5, 21 apud Platonem *ἀνάγκη*, cum ceterae formae primae declin. cadant in *a* et Diog. Laertius in hoc ipso vocabulo tradat formam *ἀνάγκα*. Recte porro frag. 60 editores emendaverunt *γᾶς* e tradito *γῆς*, cum quid hoc loco vulgari forma adhibita efficere voluerit poeta, non perspicitur, quamquam frag. 63 usurpat *γᾶν*. Determinationem in *a* exeuntem legendam esse censeo in *Θεριζομένα* 46, 2 pro *Θεριζομένη*, quod vulgo libris ΓΘ Aristidis II, 513 exceptis legitur, et *σιγᾶς* frag. 66 pro *σιγῆς*. De Simonide deferor ad Bacchylidem, qui paucis locis exceptis doricæ forma utitur. Corrigan quæso *εἰρήνη* fr. 13, 1, quod iam Boeckhius mutavit in *εἰράνα*, et *ἀνάγκη* fr. 27, 1 (Athen. II, 39 EVL *ἀνάγκη*, BCD *ἀνάγκα*); tum *ἀγκύλης* fr. 24 et *τὴν φίλην* fr. 26, *τάν* frg. 39, quod libri habent, iam Nevius correxit. At miraberis, quod in fragmentis 24 et 29 trochaicis versibus compositis vulgares formae solae traditae sunt. Quod quamvis bene cadat in id, quod in exordio de metro trochaico disputavimus, multum abest, ut ex his tribus versibus coniecturam, qualis fuerit usus dicendi poetae, faciamus.

In Ibyci reliquiis repugnat legi *Κυάρας* nomen proprium. Quamquam de nominibus propriis scribendis ambigere licet, tamen cum Et. M. 542, 51 cod. M habeat *Κυάρας*, D *Καράας*, poetam *Κυάρας* scripsisse colligimus.

Quibusnam locis doricæ formae primae declinationis in epigrammatis restituendae sint, saepe difficillimum est diiudicare, utpote valde discrepantibus cum scriptoribus tum Anthologia Palatina. Itaque editores aut tuebantur aut radicitus debebant formas dialectorum. Primus in emendanda dialecto Schneidewinus viam et rationem iniit lege statuta, poetam dialectum patriae hominum, quorum in memoriam vel gratiam condebat carmina, aptare. Quamquam vir doctus non satis distincte dicit, omnia epigrammata iam ab initio epicam dialectum peregrinis quibusdam formis temperatam ostendere, Simonidem quidem libris vel scriptoribus, quibus debemus carmina, ad consilium adhibitis epicam dialectum pro fundamento usurpavisse exploratum habemus. Sed mea sententia epica dialectus ab initio non erat epigrammatis. Ea carmina, quibus memoria hominum non multo ante defunctorum vel victoria alicuius celebrabantur, domestica, ut ita dicam, dialecto scripta erant. Quae sententia eo confirmatur, quod vetustissima epigrammata eaque lapidibus incisa non offerunt epicam dialectum. Cum autem elegiaca carmina iam ab initio praeberent epicorum sermonem, epigrammata a quarto fere saeculo ad elegiarum similitudinem eandem dialectum adhibebant. Itaque non intulit Simonides peregrinas formas, immo quaedam de dialecto servavit, qua ab initio carmina, cum nondum ad fastigium artis pervenissent, scribebantur. Quod epigrammata plurimis locis magna confusione dialectorum affecta sunt, documento est, quam longe librariorum vel scriptorum mediae et infimae aetatis manibus depravata a pristina forma desciverint. Quam corruptionem si de epigrammatis concedimus, eam de aliis quoque scriptoribus, id quod Kirchhoffius arguit, suspicari possumus atque quo plures inscriptiones inveniuntur inventaque in ordinem rediguntur, spero fore, ut huic quoque rei clarior lux afferatur. Eius erit, qui inscriptionibus adhibitis disputationem de dialecto omnium epigrammatum instituerit,

diligenter inquirere, a quo tempore epicis formis poetae usi sint; hoc loco satis est poetam in vocibus primae declinationis unum genus flexionis adhibuisse censere. Quam sententiam ut statuam, commoveor his argumentorum momentis. In antiquissimis epigrammatis doricis usque ad ea quae sub annum 350 a. Chr. exarata sunt, solae doricæ determinationes inveniuntur. Neque minus in atticis illis vetustissimis epigrammatis α purum quod vocatur locum obtinet. De atticis epigrammatis Kirchhoffium in Hermae vol. V, quem librum mihi non praesto esse doleo, disputavisse dicunt.

Ut lector suo iudicio stet, cum non omnibus haec epigrammata inspicere liceat, ea verbo de verbo reddito appono, quae in Caueri delect. inscription. inveni*). Et primum quidem affero doricam Corcyrae in sepulcro vetusto repertam (Cauer p. 32):

*Σάμα τόδε Ἀρριάδα χαροπὸς τόνδ' ὄλεσεν Ἄρης
βαρῆμενον παρὰ ναυσὶ ἐπ' Ἀράθροιο ὄφαϊσι
πολλὸν ἀριστέφοντα κατὰ στονόφρασαν ἀΓυιάν.*

Aetas tituli ex iudicio Rossii initio Olympiadum vix recentior est. Quaecum inscriptione conferas recentiores (Cauer p. 36 et 28):

*Πραξιτέλης ἀνέθεκε Συρακόσιος τόδ' ἄγαλμα
καὶ Καμαρναῖος· πρόσθ' ἄρ' ἔ Μαντινέα
Κρίνιος υἱὸς ἔβαιεν ἐν Ἀρκαδίᾳ πολυμήλο
ἑσλὸν ἑόν, καὶ Φοι μῦμα τόδ' ἔστ' ἀρετᾶς.*

Curtius putat, Praxitelem Mantineaee natum Syracusas transmigrasse, deinde post tyrannos exactos anno 461 a. Chr. Geloos ad restituendam urbem Camarinaeorum secutum esse.

*Ματρώπολις μοι χθὼν Πέλοπος τὸ Πελασγικὸν Ἄργος,
Πνυταγόρας δὲ πατὴρ Ἀιακοῦ ἐκ γενεᾶς.
εἰμὶ δὲ Νικοκρέων· θρόψεν δέ με γὰ περίκλυτος
Κύπρος θειοτάτων ἐκ προγόνων βασιλῆ,
στάσαν δ' Ἀργεῖοί με χάριν χαλκοῦ τίοντες,
Ἦρα δὲν εἰς ἔροτιν πέμπτον ἄεθλα νέοις.*

Nicocreon aequalis fuit Alexandri Magni.

Atticarum inscriptionum sexti saeculi ante Chr. hoc exemplum affero (Cauer p. 174):

*Εἴτ' ἀσπὸς τις ἀνὴρ εἴτε χσένος ἄλοθεν ἑλθόν,
Τέτιχον οἰκτίρας, ἀνδρ' ἀγαθόν, παρίτο,
ἐν πολέμοι φθίμενον, νεαρὰν ἔβεν ὀλέσαντα.
ταῦτα ἀποδιδράμενοι νῆσθε ἐπὶ πρᾶγμα ἀγαθόν.*

Sepulcro civium Atheniensium, qui ad Potidaeam interfecti erant (432 a. Chr.), hoc epigramma inscriptum est (Cauer p. 176):

*Ἀθάνατομ μοεα
σεμαίνεν ἀρετὴν
καὶ προγόνον σθένος ἑσθλὸν ἐνὶ στέθεσσιν ἔχοντες
νίκεν εὐπόλεμομ μνῆμ' ἔλαβον σφέτερον,*

*) Universe hoc loco veniam peto, cum mihi ab uberiore bibliotheca remoto non liceret omnes libros, quos in hac rerum grammaticarum μικρολογίᾳ vellem, inspicere.

αἰθέρ μὲν φουχὰς νπεδέχσατο σόματα δὲ χθδν
 τῶνδε Ποτιδαίας δ' ἀμφὶ πύλας ἔδαμεν
 ἔχθρῶν δ' οἱ μὲν ἔχουσι τόφο μέρος δι δὲ φυγόντες
 τεῖχος πισιοτάτην ἔλπιδ' ἔθεντο βίῳ,
 ἄνδρας μὲν πόλις ἔδε ποθεῖ καὶ δῆμος Ἐρεχθέος
 πρόσθε Ποτιδαίας οἱ θάνον ἐν προμάχοις,
 παῖδες Ἀθναίων, φουχὰς δ' ἀντίρροπα θέντες
 ἔλλάχσαντ' ἀρετὴν καὶ πατριδ' ἐκκλείσαν.

Cum in his epigrammatis confusio determinationum, quae est in libris manuscriptis, praesertim Anthol., non inveniatur, Simonidi, qui peregrinis scripsit epigrammata et tumulos defunctorum carminibus ornasse dicitur, ea uti non licuit. Quae res eo confirmatur, quod nonnulla epigrammata speciem purae doricæ vel atticæ declinationis prae se ferunt, quorum in numero unum, quod lapidi incisum sub Simonidis nomine fertur (107), invenitur. Conferas ex. grat. ep. 106, ubi *φουίσσα*, ἄδε leguntur, cum meras atticæ determinationes ep. 139 inveniamus.

Noli autem me docere, multa epigrammata, quae sub Simonidis nomine feruntur, Simonidis non esse. Quamquam non possum, quin fatear, certius de unoquoque epigrammate statui posse, si omnes in eo conveniunt, et cui et quo tempore scriptum sit, tamen carmina, quamdiu in editionibus Simonidis esse dicuntur, ad eas quas propositurus sum leges restituenda sunt.

1. Doricæ determinationes retinendae sunt, si unus e scriptoribus eas a vulgaribus recedentes tradit, praesertim cum ex argumento vel e lemmate carmini praefixo epigramma in laudem Dorum vel de Doribus conditum esse colligatur. Itaque ep. 99 *ἀργαλέης* et *ἐδεργεσίης* formas in doricæ, cum iam *ἀμῆς*, *ἔστακνῖαν*, *δουλοσύνας* (ita Plut. d. mal. Her. c. 29 Arist. Panath. II, 512 et III, 136) antecedant, mutandas esse censeo. Neque minus in ep. 141 de filiis Dinomenis Siculi scripto *πολλήν*, *ἔλευθερίην* formis *τᾶς*, *δεκάτας*, *δεκάταν* praeceuntibus corrigi oportet. Neque recte se habet *μορφῆς* ep. 160 propter doricæ determinationes *παλαιμοσύνας*, *Ὀλυμπιονίκαν*. Qua de causa editores vulgarem vel epicam formam *δαιομένης* ep. 103 intactam reliquerint, quamquam traditum *Τεγέης* propter antecedentem doricum accusativum *ἀρετῶν* correxerunt, non intelligo. Minus confidenter propono, ut doricæ determinationes restituamus in ep. 138. Anthologia enim Palatina, testis haud gravis, doricæ formas habet *Ἑλλάνων*, *ἀρχαγός*, *μνᾶμ'*, cum Thucydides, Demosthenes, Plutarchus, Suidas de epicis formis consentiant. At tamen fortasse doricæ formae recte se habent, quod Thucydides Lacedaemonium Pausaniam verba tripodis inscribenda curasse narrat. Nam non parvi faciendum esse argumentum, recte editores intellexerunt. Itaque in ep. 127 de homine cretensi scripto *ἐμπορίαν* e tradito *ἐμπορίην* restituerunt. Accedit quoque, quod hoc loco forma *γενεάν*, quam non vulgarem, sed doricam existimemus necesse est, in versu, qui antecedit, exstat. Saepe autem fidem Anthologiae parvi putandam esse, cum alia epigrammata tum haec demonstrant. In ep. 115 in codice Palat. *ἀρετᾶι*, a Planude in *ἔρατᾶ* mutatum legimus, cum in versu, qui sequitur, eiusdem epigrammatis epicæ formae *ἑμερτήν*, *χορυθίην* deprehendantur. Eandem confusionem Anth. invenimus in ep. 141, cuius primus versus e Arist. II, 209, schol. Arist. III, 209, Diod. Sicul. XI, 62 iure exhibet for-

mas vulgares *Εδρώπην*, *Ἀσίας*, Anthol. sola *Εδρώπαν*, *Ἀσίης*. E correctura eadem Anthologia *ἦβαν* praebet ep. 105, in extremo autem versu eiusdem carminis epicam vel vulgarem determinationem *ἀρετῆς*. Similis correctura ep. 116 exstat: *Καθεμοναν*, quo loco, cum e lemmate nihil colligi possit, num epicae an doricae formae restituendae sint dubitamus. Minime autem confusionem determinationum, quae nunc exstat in editionibus, ferri posse censemus.

2. Vulgares formae eadem lege, qua doricae restituendae aut retinendae sunt. Recte igitur editores emendaverunt ep. 89 *τηχέην*, nam *δημοσία*, *ἐρατήν*, *νεφέλην* vulgares formae antecedunt. In ep. 101 Plutarchus et Dio Chrys. de formis vulgaribus consentiunt, itaque *ἐλευθερίας* Anthologiae removemus, cum de Atheniensi Adimanto scriptum sit. Doricam formam Anthologiae ep. 108 iam Schneidewinus correxit et vocibus vulgaribus *ἵπποσύνη*, *ἦβην* opinor commotus et quod in Atheniensium gratiam carmen compositum esset. In ep. 102 sine poetae nomine, sed una cum aliis epigrammatis Sim. ab Aristide II, 511 allatis, cum cui scriptum sit nesciamus, vulgarem formam accipere non gravamur.

3. Ex eis, quae disputavimus, iam vidisti, fieri posse, ut in epigrammatis quibusdam solae epicae formae legendae sint. Atque hoc modo ex. gr. ep. III, 114 traditur.

Sed his legibus statutis et exemplis quibusdam illustratis, quod iam supra monui repeto, si quis diligentius in epigrammata, verene sint Simonidea, et si ita est, cui scripta sint, inquisiverit, nonnulla fortasse mutare poterit; generatim autem et universe rectum esse, quod exposuimus, confusionemque determinationum in eodem carmine aetate ingenioque Simonidis alienam esse censemus.

b. *α* producitur in eorum omnium verborum, quae incipiunt a littera *α*, temporibus praeteritis. Et vero si sequentes consonae positionem efficiunt, cognosci non potest. Apud Simonidem legimus exempla haecce: *ἄρθη* fr. 16 *ἄλλοντο* fr. 40, 3 *ἄρξατο* fr. 46, 2. In manuscriptis quidem nec *ἄρθη* nec *ἄρξατο* sunt, sed formae *ἤρθη* et *ἤρξατο*; cum autem *ἄλλοντο* librorum auctoritate confirmetur, ceteris locis poetam eandem rationem observasse coniecimus, nisi forte plane omissum esse augmentum, qua de re infra disseretur, credideris. In epigrammatis poeta non recedit a vulgari usu, legimus igitur *ἤρθη* ep. 111, 4 rell. Apud Bacchylidem et Ibycum exempla non inveniuntur.

c. Omnium verborum, quorum stirpes exeunt in *α*, apud Dores, quibuscum Aeoles faciunt, declinatio postulat *α* longum, cum vulgaris lingua *η* ostendat. In Simonidis melicis carminibus nisi unum, quod legitur fr. 53, 2 *νίκασε* (Athen. cod. L *νίκασε νεός*, APV *νικᾶς ἐνεός*, B *νικᾶν ἐνεός*) exemplum non exstat, alterum, quod Schneidewinus frag. 5, 5 *μωμάσομαι* codicum auctoritate neglecta in textum recepit, Bergkiius removit, cum *μωμήσομαι* non a *μωμάομαι*, sed a *μωμέομαι* descendat. Cum Simonide facit Bacchylides. In frag. 33 enim codices Athen. PVL *ἔφασ'*, Stephanus *ἔφασκ'* habent. Itaque scripsit Nevius *ἔφα*, cum equidem cum Bergkio *ἔφασεν* restituerim. In eodem fragmento Nevius *ἔστα* pro tradito *ἔστη* (unus cod. Ath. *ἔστι*) legendum esse censet. Neque Ibyco alia forma placuit, nam fr. 2, 5 *ἔβα* invenitur, quo loco omnes codices Plat. Parmen. 137 A et Procl. V, 316 ed. Cousin et Vat. Urs. *ἔβαν* habent. Huc spectant stirpes, quae per transpositionem *α* acceperunt in finem stirpis. Legis *θνατῶν* Sim. 58, 4 et 71, 2, posteriore quidem loco Stephani auctoritate traditum. Eadem stirps invenitur in

Bacchylidis frag. 21 *Θνατοῖσι* 2, 1 29, 2 (*Θνατοῖς*). Iure igitur fr. 3, 1 *Θνατῶν* frag. 9, 3 *Θνατοῖς*, frag. 36, 1 *Θνατοῖσι* (vulgo *Θνητοῖς*) editores restituerunt. In Ibyci fr. 34 coniecturae Boeckhii debetur *ἀδμᾶτες*, nam in Clem. Al. Strom. V, 715 et in Euseb. Praep. Evang. XIII, 979 *ἀδμῆτες* legitur.

In Simonidis epigrammatis tale quid non exstat, cum *νιάσαντα*, quod Schneidewinus ep. 141, 5 proposuit, codicibus non confirmatum e textu Bergkii removit.

d. E stirpibus et nominum et verborum in *α* exeuntibus vel componendo vel derivando vocabula exorta sunt haecce: *μῆστις* Sim. 4, 3, *δινάεντα* 53, 2 (solus cod. B Athen. *δινήεντα*). cf. Ahrens d. d. II, 148, quo loco inspicias sis exempla e Pindaro allata; *Στασίχορος* legimus frag. 53, 4 (cod. PV Athen. *στησίχορος*). Adversatur autem *στίλας* fr. 51, 4 cod. Diog. Laert., cum Stephanus habeat *στάλας*. Quem secuti et nisi analogia vocis *σελάνας*, quae legitur in antecedenti versu eiusdem fragmenti, *στάλας* restituumus. Tum in editione Schneidewiniana *τ' ὀνασίπολιω* deprehenditur, qua coniectura reiecta Bergkii propius ad scripturam codicum, qui *γ' ὀνησίπολιω* praebent, forma *τ' ὀνησίπολιω* recepta accedit. Certum exemplum, quod huc referendum est, habemus vocem *φονάεντα* in Bacch. fr. 35, 2 a Clem. Al. Paed. III, 360 servatam, quacum conferas Pindaricum *φόνασε* Ol. XIII, 67. *η* autem vocali instructum *αἰγλήεντα* fr. 27, 9 traditum est, quod Bergkii in *αἰγλάεντα* correxit. Ex Ibyci carminibus affero *φᾶμις* fr. 9, 2 (Herod. περ. σχημ. 60, 31 *φᾶμις* praeter A *φαιῆς*, D *φάτις*).

In epigr. inspicias doricæ voces 134, 2 *μνάματα* et 138, 2 *μνάμα*, quas Anthologia habet. Cum Simonide, Bacchylide, Ibyco melicis poetis Pindarus consentit. cf. Peter I. l. p. 9.

e. Ad stirpes, in quibus *α* est, revocari possunt: *ἀλαθέως* Sim. fr. 5, 1 *τὰν ἀλάθειαν* 76 (ita Plat. Repl. II, 365 C. e Par. A. Vat. H. Vind. EF Ambr. C. Aug. B. fl. ABCV. *τὰν* vel *τὴν ἀλήθειαν* rell., Cobet cod. schol. Eurip. Orest. 770 *τὴν ἀλάθειαν*). Voces *ἄπρακτοι* fr. 5, 16 et *ἄπρακτοι* fr. 39, 1 diverso modo in libris tractatas invenimus. Priore enim loco et in libris et in editionibus forma *α* vocali instructa legitur, posteriore autem Schneidewinus Pindari locis quibusdam opinor permotus *α* mutavit in *η*. Is enim quamquam semper *πράξις* usurpat, vocem *ἄπρακτος* adhibet, quam formam ionicam Boeckhii reconditiorem putat quam quae possit a librario profecta videri. cf. Peter p. 8.

Huic loco adscribimus stirpem *ἄδ*, cuius vocalis *α* conspicitur in vocibus *μελιαδέα* fr. 41, 2 *ἄδονᾶς* fr. 71, 1 *ἄδνόδμον* fr. 74. Quibus locis cum omnes libri diversorum scriptorum consentiant, exceptio in legem a poeta adhibitam incurrere videtur in fragmento 79: *οὔτος δὲ τοῖ ἡδνμον ἕπνον ἔχων*, quod traditur in scholio ad B, 2: *οἱ δὲ τὸ νήδνμος μετὰ τοῦ ν καὶ οὐχὶ ἡδνμος, ὡς ἐνιοι, παρὰ τὸ ἡδός, ὡς δὴλον ἐκ τοῦ νήδνμος ἀμφιχυθείς, οἱ δὲ μεθ' Ὀμηρον καὶ χωρὶς τοῦ ν λέγονσιν. Καὶ Σιμωνίδης οὔτος κτλ.* Idem fere docet Eust. 163, 28. Attamen cum locis, quos attulimus, probatum sit, Simonidem doricam formam adhibuisse, dubito, num hoc loco scripserit *ἡδνμον*, quod ab eadem radice descendit; *νήδνμος* vero epica vox originis satis obscurae est, cum ne Curtii quidem etymologia, qui, cum aliis aliud placeat, vocem ad radicem nand reducit, satisfaciatur. Fortasse iam scholiastae aetate locus corruptus erat, ita ut *ἡδνμος* pro *ἄδνμος* in textum irreperit. Venio iam ad Bacchylidem. Atque primum quidem legimus

ἀπρακτ' fr. 20, ubi *a* littera satis confirmatur cod. AB Vind. Stob. flor., cum ceteri codices plane versum omittant. Boeckhiius Pindari analogia fultus scripsit ἀπρακτ'. Tum ἀλάθεια servatur fr. 22, 3 in gemm. apud Cayl. Rec. d. Ant. T. V. tab. 50, 4 et in Schowii b., vulgo autem legitur ἀλήθεια. Vocalis *a* in voce ἀμφάκια fr. 20 libris Stob. flor. LX, 3 traditur (A ἐμφάκια), cum Plutarchus Num. c. 20 doricam dialectum aspernetur (ἀμφήκια). Discrepat Bacchylides a Simonide forma ἡδύς, quae exstat frag. 28, si quidem ex uno exemplo id colligere non est audacius. Libri consentiunt omnes, itaque Bergkii sententia propter metrum trochaicum forma *η* vocali praedita satis excusationis habet (cf. supra pag. 15).

f. Feminina super bisyllabum in *-ava* exeuntia habes in his exemplis Ἀλκμάνας Sim. fr. 8, 3, a Schneidewino in Ἀλκμήνας mutatum, porro in γαλάνας fr. 23, 1 σελάνας fr. 57, 3. Neque praetermittendum est, Boeckhium eandem rationem Ibycum observasse ratum εἰράνας fr. 13, 1 e tradito εἰρήνης restituisse. Huc quoque spectat forma Ἀθάνα ep. 151, 1, cum vetustior ionica Ἀθηναῖος ep. 143, 1 legatur. At mirabitur fortasse quispiam, quid sit quod dorica forma epicae locum occupaverit (cod. Ἀθανᾶς), cum in hoc epigrammate non doricae, sed epicae dialecti vestigia insint. Satis tamen excusatur, nam in vetustissimis inscriptionibus interdum ionica forma exstat, quae in posterioribus quidem cum Ἀθηναῖα et Ἀθηναῖ commutatur. Voce igitur Ἀθηναῖ non recepta poetae aut epica aut dorica forma, quam e carminibus, quibus dea colebatur, nota erat, uti cogebantur.

g. Denique ea quae certa lege astringi non possunt vocabula allaturus sum singula: Ἀλογορέες Sim. fr. 27, 1 γᾶρον fr. 41, 2 μᾶτερ 49 μανίει 50 (ita schol. Pind. Ol. XIII, 78, Aristot. Rhet. I, 6; sed Plut. vit. Dion. c. 1 μηνία) ζαλωτός 71, 3 (solus Stephanus, vulgo ζηλωτός). Apud Bacchylidem sunt haec: νάσσο fr. 7 ἐμέτερον fr. 11 ἄμόν fr. 13, 11 μανίει 22, 1 et 43 ἐπιζῶλω fr. 1, 2 et id quidem coniectura Nevii. Neque minus Grotii coniecturae debetur ἄμαρ fr. 19, 4, cum libri τὸ δὲ (τόδε) παρόμαρτε, Stephanus τὸ δὲ πᾶν ἡμᾶρ τε καὶ praebeant, σιδαροδέτοις exstat in fr. 13, 6. Dissentiunt Bacchylides et Ibycus, cuius pronomen ἡμέτερον fr. 1, 11 cod. auctoritate confirmatur. *a* vero deprehendimus in vocabulo μάν fr. 2, 3 (iam apud Homerum, quamquam Bekkerus μῆν scribit, usitato, cf. e. gr. N, 354), et in μάλα fr. 6, 2. cf. Pind. frag. 221. Τᾶμος (cod. Herod. περ. σχημ. ταμός) fr. 7, 1 ἄλικας fr. 16, 3. De singulis vocibus, quas attulimus, inspicias Ahrens. d. d. II, 137, quo loco etiam exempla e Pindari carminibus collecta inveniuntur.

In epigrammatis Simonidis voces *a* vocali instructae sunt: Πελοποννάσσο 91, 2 (ita Anth. et Herod. SMPK rell. νήσσο) νάσσο 98, 2 δάμοφ 155, 10 σᾶμα 126, 1 Ἑλλάνων 108, 4 et 138. πρᾶτον +182, 6. (cod. ἀπροτον, sed in marg. a. sec. manu δωρικῶς ἐντὶ τοῦ πρῶτον) καρόσσει +182, 3. Sed haec sunt, quae e dorica dialecto poeta immiscuit, *a* vero longum, quod editores scripserunt in verbis σακός, ἀλιθίων, γεγαυαμένων Sim., κᾶπος Ibyc. utpote nulla auctoritate librorum confirmatum merito Bergkiius e textu removit.

II. Omnes alios locos, in quibus *η* positum est, enumerare non opus est, verbo quidem attingere liceat, Simonidem et Bacchylidem in eis stirpibus, quae cadunt in *ε*, productionem in *η* observasse (ex gr. ἐβόμβησε Sim. 1, 1, μομήσομαι 5, 5, κινήθεισα

37, 2, *μοναρχήσειν* Bacch. 27, 7, *ἀγνοήσειν* 31 rell.). Apud Pindarum eandem rationem adhibitam invenimus, paucis verbis exceptis: *φιλέω*, *φονέω*, *πονέω*, *ροστέω*, quorum aoristus ex. grat. sonat *ἐφίλασα*, sed libri adeo discrepant, ut Mommsenius Pindarum ubique *η* scripsisse censeat. In epigrammatis poeta a vulgari modo non recedit.

III. De littera *ω* haec adnotanda sunt. *ω* per contractionem exortum existima in *ὀγδοακονταέτει* 146, 2 et 147, 6 (Tzetz. et libri nonnulli Planud. *ὀγδοακονταέτει*), quam contractionem et Dores et Iones vetustiores amabant. cf. Ahrens d. d. II, 280. Ex *οα* contractum est *ω* in voce *ἦσσώ*. cf. infr. § 6. Per productionem suppletoriam *ω* habemus in *Λιονύσοιο* ep. 172, 3 Ahrensi auctore e *Λιόνυσσος*, Brugmano autem, quocum equidem facio, e *ΛιΦόνυσος* exortum. Ceterum iam apud Homerum forma, quae Boeotorum propria fuit, invenitur; semel ni fallor Ol. XIII, 18 nomen *ω* vocali instructum apud Pindarum legitur. Alteram formam *Λιονύσοιοι* Bacch. 27, 4 et Simonides in cl. 88, 4 *Λιονύσιον* adhibet. Iure autem e textu remotum est *Ποσειδώνιον* Bacch. 41, 1. Pro vulgari *Ποσειδῶν* quattuor formas dorici sermonis proprias fuisse grammatici testantur (cf. Kühner. gramm. I, 332) eaeque in fontibus leguntur: *Ποτιδάν*, *Ποτειδάν*, *Ποσειδάν* (saepe a Pindaro usurpata), *Ποτιδάς*. Ad tertiam cadit *Ποσειδάνιον*, quod l. l. codic. schol. Pind. Ol. XI, 83 Gott. Vrat. D confirmatur.

§ 3.

De diphthongis.

Saepe epica dialectus et recentior Ias antiquiorem diphthongum servant, quam reliquae dialecti in simplicem vocalem mutant. Atque exordium disputationis capiamus a

1. diphthongo *αι*, quam conspicis in *αίε* fr. 4 Ibyc., quod adverbium neque Doride vetustiore neque Homero alienum est. Eadem forma tradita est in Sim. eleg. 85, 1. Alteram formam *αίέν* legitur in Bacchyl. ep. 48, 3. Diversas formas huius particulae collectas inspicias apud Ahrensium d. d. II, 376 seqq., collectas explicatasque apud Geerthium in Curt. stud. vol. I, p. 211.

Vocem *Ἀθηναίης* iam supra attuli. De formatione nominativi sing. part. aorist. I. aeolico more in *αις* exeuntis pro vulgari in *ας* (cf. Ahrens d. d. I, 69) nonnulla disserenda sunt. Ut a Pindaro ordiamur, poetam Thebanum ubique optimis codicibus collatis sex locis, quorum tres ad Olympiaca utpote maxime corruptioni exposita pertinent, exceptis hanc formationem usurpavisse constat. Mommsenio quidem post liquidas consonas antecedentes poetam formationem vulgarem servavisse exploratum est. Quod equidem cum Petro (cf. p. 37) et Bergkio (cf. ad. Ol. VI, 79) addubitaverim. Neque enim liquet, qua causa permotus poeta hanc formationem titulis satis confirmatam respuerit. Quod vero Pindaro concedo, minime concesserim Simonidi. Nam uno loco frag. 5, 12 Boeckhii coniecturam editores usu Pindari fulti *πράξαις* receperunt, quamquam omnes libri de adhibenda vulgari forma *πράξας* consentiunt. Itaque *πράξας* retinendum est.

2. *ει* diphthongum Simonides servat in his exemplis: *ελαθίνας* Sim. 57, 2 et *ελαρινά* frag. 73, 2, quae epica vox e ratione linguarum cognatarum explicari non potest. cf. skt. vas-anta-s, zd. vanhra, slov. vesna, lit. vas-ara. Apud Homerum exstat

B, 471, apud Hesiodum Theog. 1276. Nisi in epigrammatis et elegiis vocabulum *ξείνος* non legitur. Inspicias autem *ξεινοδόκων* ep. 84, 7 et *Ξεινοφίλου* 147, 3. Pleniorem formam exortam esse e *ξένφος*, tituli testantur ut *ξένφαρες* in inscriptione Corcyraea, *ξένφων* in vase Corinthio, *Πρόξενφος* in Menecratis sepulcro (cf. R. Bergmann inscript. Corcyr. p. 136 seqq. — Hermes II, 1). *ξένιος* forma, quae proxime accedit ad antiquissimam illam, exstat ep. 128, 2 in *Zeῦ ξένι*. *ξείνος* per productionem suppletoriam exortum in codice B Dion. Chrysost. manu priore scriptum legitur ep. 98, 1, cum reliqui codices praebeant *ξένε*. Quocum conferas epigr. 92, 1, ubi eadem forma libris Anthologiae et Lycurg. Leocrat. traditum est. Iure autem Bergkiius formam *ξείνε*, quae saepissime a poetis in alloquendi formulis adhibetur, in textum recepit. *Κλεινοῖο* contractum e *κλεινοῖο* exstat ep. 94, 1, cum ep. 120, 3 *κλεινόν* legatur. *κλεινοῖο* illud e *κλεινός* sicut *ποθεινός* in melico frag. 71, 2 e *ποθεινός* formatum est. Attamen in forma offenderit quispiam, quod *κλεινός* vocabulum in Homericis carminibus non occurrit, quamquam ad Homericarum formarum analogiam id fictum esse cogitari potest. Plus autem valet, quod Herodoti VS et Iriar. vocem illam in epicis carminibus usitatissimam *κλείτοιο* praebent. Quam formam praetulerim.

Lesbiorum propriam formam *κλεινόν* quae exstat ep. 120, 3, eadem origine, qua ionica forma *κλεινόν* exortam iam Reiskius ea de causa opinor in *κλεινόν* mutaverat, quod nulla alia vestigia aeolicae dialecti insunt in epigrammate. Quamquam eam ex Aeolibus ipsis depromptam esse cogitari non potest, mea tamen sententia retinenda est, quod libri consentiunt eamque ad Homericas illas *ἐρεβεννός* O, 488 rell., *ἀργεννός* Γ, 141, *ἐραννός* I, 531 formatam esse statui potest. Accedit quoque, quod etiam Hesiodus eis formis non abstinet, ut *ἐρεβεννή* Theog. 213, *ἐρεβεννός* op. 17. Neque debebat Iacobsius *νειφομένης* Sim. ep. 117, 4 mutare in *νιφομένης*. *ει* diphthongus, quam Herodianus II, 554 ed. Lentz tuetur, apud scriptores nonnullos manuscriptis confirmata etiam apud Homerum M, 280 restituta est. cf. Curt. verb. graec. II, p. 225. Addo ionicas formas ep. +184, quod spurium esse dicunt neque eius patrocinium suscipere nobis in animo est: *εἴνεκα*, *πνείοντα*.

Adiungo hoc loco, formam *κενός*, cui plerique Dores praeferebant *κενός*, in usu Simonidis esse: *κενάν* frag. 5, 16, *κενόφρων* 75, in epigr. 117, 6 *κενοί*. Pindarus et *κενός* et *κεινός*, quam formam schol. ad Od. VII, 81 doricam vocat, ex imitatione Homeri adhibet. Is enim uno loco χ, 244, ubi legitur *κενός*, excepto utramque formam *κεινός* et *κενός* usurpat. Eodem modo inter *ξείνος* et *ξένος* variat Pindarus sermonem, aeolicam autem formam *κλεινός* tribus locis invenimus. cf. Petrum p. 17. Veniamus iam ad

3. diphthongum *ov*, quam Iones, cum ceterae dialecti o habeant, servant in his vocibus: *δοῦρατα* Sim. 37, 7 (*δοῦρατα* Guelf., *δοῦραντι* Ald. (Reg. I. *δοῦραντι*, vulgo *δόματι*), in qua digamma per epenthesis quam vocant in syllabam antecedentem transiit, alteram breviorē stirpem conspicis in dativo *δοῦρί* 53, 1. Eodem spectat vox *κοῦρα*, quae legitur apud Ibycum frag. 15 *κοῦρα*, unde coniectura eam Schneidewinus fr. 9, 1 restituit, cum librorum Herod. *περ. σχημ.* praebeant A *κόρην*, DC *κόραν*. Forma *ov* diphthongo instructa e librorum Ath. auctoritate legitur fr. 16, 1, quo loco eam in *κόρους* mutavit Dindorfius. Neque a Bacchylide formam alienam esse, el. 48, 1

ζούρα satis comprobatur. In Simonidis melicis carminibus non inveni exemplum, in epigrammatis autem haecce: *ζούροι* 108, 2, *ζουριδίην* 115, 4. Eandem formam *ου* diphthongo pronuntiatam Homerus adhibet, quam e *ζόρση* exorta esse luculentissime demonstravit Curtius (Stud. vol. I, 251). Epicas formas *ροῦσε* ep. Sim. 115, 1 et *ρούσον* Bacch. 34, 1, quarum *ου* difficile est explicare, deprehendimus. *Οἰλύμποιο* legitur ep. 168, 1, quod vocabulum a radice *λυμπ-* (cf. *λαμπρός*) derivatur, cuius vocalis *υ* in syllabam antecedentem prothetica vocali exortam videtur transiisse. cf. Curt. el. etymol. p. 266. *οἶνομα*, quod ex *ὄνομα* exortum est, in ep. 110, 3 habemus. Quae omnia vocabula ex epica lingua deprompta esse iam vidimus; si quis Homeri usum cognitum habet, quod praeter eas quas attulimus formas etiam simpliciores exstare non mirabitur. Itaque invenimus in Simonidis frag. 5, 1 *μόνος*, fr. 46, 1 *μόνον*, in Bacch. 25 *μόνον* (Gaisfordius *μοῦνος*) fr. 26 *μόνω* (ita libri Hephaest. ut videtur praeter *E*^a). Et in epigrammatis Simonid. 88, 1 *μόνος*, *γόνατα* 156, 2 *Ὀλυμπία* 125, 3 *Ὀλυμπιονίκαν* 149, 1 *Ὀλυμπιάδας* 152, 2 *μόνος* in eleg. 88, 1 *μοῦνος* + 184, 5. Eadem et plura huc spectantia habet Pindarus: *μόνος* et *μοῦνος*, *Ὀλυμπος* et *Ὀύλυμπος*, *ροῦσος* et *ρούσος*, semper *ζόρη*. cf. Petrum p. 17.

4. De diphthongo *οι* tractanda sententia mea valde differt a ratione, quam in textu constituendo editores inierunt. Examinantibus autem nobis, quibus formis diphthongus illa productione suppletoria exorta iure tribuatur, tria genera distinguenda sunt. Atque primum feminina part. in *-οισα* pro vulgari in *-ουσα* exeuntia editores restituerunt et ita quidem, ut habeas Sim. 1, 1 *ἐποτρέποισα* (ita unus Schneidewinus, Bergkii *ἐποτρέποισι*, Prisc. de metr. com. Keil II, 428 PV *ἀποτρέπονσαι*, A *ἀποτρέποισι*, Ald. *ἀποτρέπονσαν*), porro *στρέφοισαν* fr. 80, 4 *σιζοισα* fr. 78. Et id quidem recte. Nam in codicibus vestigia quidem, quamquam forma incorrupta non exstat, poetam tales formas adhibuisse relicta sunt. De prima forma propter exiguum ambitum fragmenti diiudicari non potest, utrum sit partic. an III. pers. plur. Altero autem loco praebent codices *στρέφοισαν*, quod e *στρέφοισαν* corruptum esse iure coniecere licet, tertio exstat forma vulgaris. Itaque colligendum est, Simonidem hanc aeolicam formam, omnium Aeolismorum usitatissimum (cf. Ahrens d. d. I, p. 69), usurpavisse veri simillimum esse. Porro legimus fr. 44, 2 *Μοισᾶν* et frag. 46, 1 *Μοῖσα*, cum in libris manuscriptis *Μοισᾶν* et *Μοῖσα* inveniantur. Quo igitur iure editores aeolicas formas restituerint, frustra quaerimus. Nonne auctor, qui laudavit verba poetae, vel librarius, qui descripsit fragmentum, cum non offenderet ex. gr. in dorico genetivo, vestigia quidem aeolicae illius productionis servare poterat? Itaque illas formas ad similitudinem Pindari in textum illatas removendas esse censeo. Una reliqua est forma, quae sententiae meae videtur repugnare. Nam in Sim. epigr. 148, 11 legitur *Μοισᾶν*, quae vox in libris manuscriptis tradita est. Duo autem posteriores versus epigrammatis optimo iure spurii existimandi sunt. Quamquam versus 11 et 12 inane additamentum esse haud in magno equidem pono discrimine, metricae tamen restant difficultates, quae moveant suspicionem. Quas ut tollerent, Hermannus *Μοισᾶν* plane deletum aut in initium versus, quod interiisset, reiectum voluit, Nevius vero scripsit:

Μοισᾶν ἕκατι θῆκαν ἰοστεφάνων θεᾶων,

Mehlhornius: *ἕκατι Μοισᾶν θῆκαν ἰοστεφάνων θεᾶων,*

cum Meinekius, cui *ῥέδων* supervacaneum videbatur, proponeret:

ὄρῶν ἑκατι ῥῆκαν ἰοστεφάνων Μοισῶν.

Bergkius denique quamquam nihil mutandum esse censuerat, tamen ut posteriori versui sicut ceteris praemissa esset anacrusis, coniecit *ῥῆκαν ἰοστεφάνων ῥέδων ἑκατι Μοισῶν*. Est sane versus ut ceteri logaoedius, nisi quod bini dactyli hic primum, illic medium obtinent locum. Consulto opinatur Bergkius id variasse poetam. Sed quo tandem quaeso consilio? Num omnino talis variatio in epigrammate admitti possit, dubitaverim. Dialectus autem nobis difficultatem affert, quod doricae formae, cum in ceteris versibus nulla vestigia inveniuntur, repente ingruunt in versibus posterioribus, qua in re iam Schneidewinus offendeat. Quonam autem consilio poeta doricas formas immiscuerit, coniectura assequi non possum. At *Μοισῶν* non est dorica forma, sed aeolica. In melicis quidem carminibus insunt aeolicae formae, minime vero in epigrammatis, nisi quarum usu iam Homerus praeierat. Itaque si quid video, distichon spurium est, sive ex epigrammate poetae alicuius sive e glossemate in textum irrepsit. Multo minus formae aeolicae III. pers. plur., quae ne speciem quidem veri prae se ferunt, defendi possunt. E contrario consentiunt libri de formis vulgaribus *φιλέουσι* fr. 5, 14 *καλέουσι* 12, 3 *λέπτοισι* 42, e quibus editores formaverunt aeolicas. At quispiam mihi obiecerit, poetam semper eandem productionem adhibuisse quam variasse versi similis esse. Iniuria opinor. Nullus poeta tali lege cohibebatur. Testem exempli causa profero Alemanem, qui part. feminina in *οῖσα* exeuntia format, cum pro vulgari *Μοῦσα* laconicam formam *Μῶσα* adhibeat. Sola similitudine Pindari permotos editores aeolicas illas formas in Simonidem intulisse crediderim. Thebanus enim vates in hac dialecto immiscenda multo longius Simonide procedit, cum non solum aeolica part. feminina, sed etiam tertias pers. plur. libris manuscriptis traditas usurpet, ad quas formas nomina quaedam propria *Κρέοισα*, *Μέδοισα*, *Μοῖσα*, *Μοισαῖος* accedunt, quamquam vulgaris forma est *μουσικῶς*, *Ἀρέθουσαν*. cf. Peter p. 18.

A Simonide transeo ad Ibycum. Is iam in primo carmine edit. Bergk. habet, quod a Simonide abiudicavimus. Nam *θαλέθοισι* III. pers. plur. vers. 6 legitur, quod Athenaei libri AB satis tuentur, cum PVL vulgarem formam tradant. Bacchylidem eandem rationem observasse, Nevius censet, itaque 27, 8 *μαρμαίρονσι*, quod in libris Athen. legitur, in *μαρμαίροισι* mutavit. Quem secutus altero quoque loco fr. 28, 2 in editione II. *Μοῖσα* coniecerat, in tertia vero propter metrum trochaicum restituit *Μοῦσα*.

§ 4.

De formis quibusdam contractis et solutis.

Ias et vetustior et recentior cum in concursu vocalium non offenderent, quas praesertim Atthis recentior contrahebat, saepe pristinam formam servaverunt. Sed dorica quoque lingua non abhorret a formis solutis, ut dubitare liceat, num quae quidem in melicis carminibus occurrunt formae ad Dores referendae sint. Atque primum respicientes

1. *ε* et *ο* vocales multo saepius apud poetas invenimus formas solutas quam contractas. In melicis Simonidis uno de quo infra disseretur loco excepto nusquam

exstat exemplum contractionis. Inspicias *μίμο* fr. 29, 3 *σιδάρεον* 8, 3 *χρυσσοκόμα* 27, 2 *χαλκιογόμφω* 37, 7 *θαρσάλεον* 37, 8 *φαινίκειον* 54, 1 gen. *Πολυδέκειος* 8, 1 *ἄστεος* 48 *σέο* 37, 17. Unum exemplum epicae contractionis legitur apud Bacchylidem *φορεῦντες* fr. 41, 2, cum Ibycus praebeat nullum. Diversas formas hoc loco coniunxi, ut facilius de tota re diiudicarem et si quid repugnaret in suspicionem vocarem.

Cui contractioni *ἐδρεέδους*, quod legitur in Sim. 5, 17, adversatur. Sed hoc loco valde inter se differunt libri manuscripti diversorum scriptorum. Platon. enim Prot. 339 A habent *Ἄθε ἐδρεεδοῦς*, cum Plut. quaest. symp. IX, 142 *ἐδρεεδοῦς* et mira consensione idem de tranquill. anim. c. 10 et de frat. amore c. 14 *ἐδρεέδου γε*, adv. Stoic. vero c. 7 *ἐδρεέδους* praebeat. Quo posteriore loco usus mutata littera *v* in *ε* *ἐδρεέδους* scribendum esse coniiicio. Quam similiter *εο* et *ευ* pronuntiata sint, luculentissime tituli quidam demonstrant, in quibus modo *εο* modo *ευ* scribitur. Conferas ex. gr. *φρέγειν* pro vulgari *φρεύειν* cf. Renner l. l. p. 179. Pindarus ipse praefert formas solutas. Nisi in *δέκεν*, *Ἀριστοφάνειν*, quae verba nonnullorum codicum auctoritate nisus Peter correxit, neque ionicae neque vulgaris contractionis exempla inveniuntur. cf. Peter p. 39. 46. 59.

In epigrammatis syllabae epico more contractae sunt (de Doribus enim non cogitaverim), itaque habes exempla haecce: *ἴεν* 119, 4. *σεῦ* 130, 1 *Λειωμένειν* 141, 2, cum solutae formae exstant *εὔχαιο* 164, 1 *κνάνειον* 96, 2 *δαίδαλεον* 147, 2 *Σινόπειος* 118, 1 *Λεοπρέπειος* 146, 2 et 147, 6. Vulgarem autem contractionem *προμαχοῦντες* 91, 1 ita accipi necesse est, ut poetam cum teste Lyeurg. Leocr. 10 de Atheniensibus epigramma scripserit, consilio formam atticam immiscuisse existimemus.

Neque ceteris locis, ubi inveniuntur adiectiva in *εος* exeuntia, terminatio unam explet syllabam. Habes igitur *κνάνεοισι* Ib. 2, 1 *ἀργυρέω* 16, 5 *δαίδαλέα* Sim. 37, 1 *κνάνεω* 37, 8 *κνάνεον* 40, 3 *κνάνεα* 74, 2 *πορφυρέα* 37, 12 *πορφυρέας* 51 *πορφύρεον* 72, 1 *χρυσέας* 57, 4 *πορφύρει* Bacch. 28, 1.

2. *εω* litteras invenimus non contractas, sed semper solutas.

In Simonidis melicis legimus *ἐλαθέως* 5, 1 part. *πνέων* 37, 2 genet. *μελέων* 46, 3. Per synizesim legamus necesse est *ἀεικίως* fr. 13, 1. Eandem rationem observatam videmus apud Ibycum et Bacchylidem: *ἐγκρατέως* Ib. 1, 10 *τρομέω* 2, 3 *γλανκίων* 5, 4 *δαίδαλέων* Bacch. 13, 3 (ita A Trinitati, vulg. *δαίδαλεον*) *ἐπέων* 14, 2 *πόλεων* 27, 6 (Bergk. coniectur., vulg. *πολλίων*) *ἀχέων* 29, 2 *δυσμενέων* 46. In Simonidis epigrammatis huc spectant genitivi ionico more formati: *Ἄιδέω* 96, 4 *Ἀρχεναύτιω* 112, 1 *χερνήτειω* 124, 2 *Σιμωνίδειω* 129, 1 (Anth. *Σιμωνίδου*). Pindarus et in verbi formis et in gen. formatione facit cum melicis tribus poetis.

3. Similis lex in concursu vocalium *ε* et *α* observatur praeterquam quod nonnullae voces usu Homericis excusationem habent. Suam enim habet utraque syllaba vim in *κέαρ* Bacch. 20, 6 et 27, 11 et accusat. plural. eiusdem poetae *ἀνθεα* 13, 2 *ἐγχεα ἀμφάκεια* 13, 8 *δονακώδεα* 39. Contractionis exemplum est *ἀπενθῆ* 19, 2 (cf. σ, 200). Pindarus et contrahit neque spernit formam solutam. In Simonidis epigrammatis conferas *ἄγχεα* 117, 4 *ἔθνεα* 132, 1, sed in epigr. 141, 5 *ἔθνη*. In Homericis carminibus praeter solutas formas duobus locis contractae inveniuntur. H, 207. X, 322 (Bekk. *τεύχεα*). Itaque *ἦρι* Ib. 1, 1, quocum Homericum *ἦρος* conferas, defendendum est.

4. *a* et *ω* dorico more in *a* contrahuntur. Et in Simonidis carminibus habemus genetivos primae declinationis *Μουσαῖν* 44, 2 *ἄγνᾶν* 45 et quod Ahrensius in difficili illo carmine Danaae e traditis verbis *τεᾶν κόμαν βαθεῖαν* restituit *τεᾶν κομᾶν βαθειᾶν*. Neque Ibycus tali contractione abstinuit in *φοᾶν* fr. 1, 2 (ita Ath. VL, *φοᾶν* AP) *ἀναριτᾶν* 22, 3 *τραπεζητᾶν κωνᾶν* 60. Quamquam Bacchylidis loci turbati sunt, tamen vestigia doricæ contractionis relicta sunt. Inspicias *ᾄοιδᾶν*, 13, 2, quod Boeckhius restituit ex *ᾄοιδᾶν, αἰθᾶν ἀραχνᾶν* 13, 7, cum in Plut. Num. c. 20 *αἰθᾶν ἀράχνας* legatur, *ἀεικελιᾶν*, quod Nevii coniecturae ex *ἀεὶ καὶ λίαν* Clem. Alex. Strom. V, 7. 15 debemus. In epigrammatis Simonideis ad Dores scriptis *πολιητᾶν* 137, 1 et e coniectura Boeckhii in versu suppleto epigr. 107, 6 *Φοινισσᾶν* leguntur, porro *Θυρεᾶν* in ep. +184, 2. 182, 2.

Epicas quoque formas *δυσφροσυνάων* 86 et *σαωτήρ* 183, 1 recte se habere, ex eis, quae supra disseruimus, apparet.

5. *ω* fit ex *a* et *o* in verborum formis *ποτῶντ'* Sim. fr. 40, 2, *χρῶμενοι* ep. 95, 4, solutæ autem formæ sunt *ραιετόντες* eleg. 84, 1 *σαοφροσύνην* ep. 114, 4, denique forma *ἦραο* ex *ἦρασο* exorta 145, 1. Verba cum *-λαος* composita apud Dores contractione affecta esse, et grammatici et tituli testantur. Unum exemplum est *Ἀρκεσίλαος* ep. 157, 4 (cod. Mon. Ars. *Ἀρκεσίλαος*). Usum Pindari ut comparemus, verba in *ω* desinentia eodem modo, quo apud Simonidem flectuntur, si quidem e paucis exemplis id colligere licet. Una enim forma *ραιετόντες*, quam ex epica lingua poetam deprompsisse existimaveris, excepta, nunquam adhibet formas solutas, in genet. epico more exeuntibus doricam rationem aequè atque in contractione compositorum cum *λαός* sequitur. cf. Peter 61. 33.

6. Verbum *νόος* modo contractam modo solutam formam in ep. Simon. ostendit. Itaque habes *νόος* 85, 11 *νοῦν* 111, 4 *νόον* 175, 2. Nisi soluta forma in melicis carminibus fr. 5, 2 et 42 non legitur. *ἰράν* ionicam contractam formam pro tradito *ἰεράν* Ibyc. 12, 4 editores coniecerunt.

7. Denique ea vocabula sequuntur, quae, cum ab initio spiranti consona se iuncta essent, hiatum efficiunt: *ἀεικέως* Sim. fr. 13, 1 quod a radice *ικ* ducitur. De origine vocis *ἄεισε* fr. 53, 4 *ᾄοιδῶ* fr. 40, 3 conferas radicem *Fiδ* in Curtii elem. etym. p. 227. Unde *ἀελλοπόδων* Sim. 7 et *ἀελλοδρομόν* 6, 2 Bacch. exorta sint, iam aeolicis illis *αἰήρ* et *αἰέλλα* (cf. Ahrens d. d. I, 38, Curt. l. l. p. 390) satis explicatur. Eandem litteram spirantem praebet *ἀεθλοφόρος* Sim. 2, 4, quocum conferas Latinorum *va(d)s*, *vadimonium*. Neque *ἄελιος*, quod apud Lacones *ἀβέλιος* sonabat, spreverunt; legitur enim *ἄελιον* Sim. 5 et 37, 3, Bacch. 22, *ἠέλιον* autem Sim. ep. + 184, 6. *ἄεκων* a radice *Feκ* natum est. *ἔελδωρ* fr. 16 et 17 Ibyc. ad radicem *Feλδ* reducimus. Cum dativo *ᾠέφ* Ibyc. fr. 16, 4 (ita Eust. vulgo *ᾠεφ*), in quo *ε* vocalis spiranti successit, conferas Hesychii *ᾠβεα τὰ ᾠὰ Ἀργεῖον* et ovum Latinorum, qua ex comparatione vocem ex antiqua forma *οηjo-m* natam esse elucet. Vocem *ᾠπνος* ex *a* privativo et *σπνος* compositam esse, Latinorum *som-nus* testatur. cf. Curt. el. etym. p. 290. In adiectivis quoque inveniuntur exempla diaeresis: *κεροέσσα* (e *κεροFeτjα*) Sim. 30, 2 *ἀνθεμόεν* 30, 1 *δινάεντα* 53, 2 *ἡμερόεντα* Bacch. 48, 12, similia in Sim. epigrammatis. In epigrammatis Simonidis leguntur hae voces: *ἄεθλον* 173, 1 *ἄεθλων* 148, 5 *ἄεθλοῖς* 155, 3 *ἄθλειν* autem 147, 3 *ἄειδε* 171, 12 *ᾄοιδᾶν* 148, 4 *ᾄοίδησαν* 174, 1 *ἔειπεν* a rad. *Feπ* 85, 2. 116, 1 *ὀδωκονταέτει* 146, 2. 147, 6 *ἄεξει* 84, 5 *ἄεξειν* 107, 1 *Ἄιδεω* 96, 4

ἀρηθροῖ 102, 2 δηίων 136, 3 δαίω 144, 4 ἐπενκλείσας 125, 2 Θρηκίω 120, 3 Θρηκίης
autem 168, 2.

§ 5.

De crasi.

Sicut apud Homerum ita apud Simonidem perpauca craseos exempla inveniuntur, ne καὶ quidem exstat, quod apud Pindarum cum vocabulo, quod sequitur, crasi coniungitur.

Duo verba codicibus confirmata exhibent crasim: τοῦνεκεν 5, 15, cuius duae partes iam apud Homerum tam arte coaluerunt, ut unius vocis instar sint, tum ὠνθρωπε in Sim. frag. 60, quam interiectionem ὦ cum sequenti substantivo Pindarus coniungere non aspernatur. Praeterea Brunckius coniecit ἄριστος epigr. 84, 7, quod Bergkiius recepit pro tradito δ' ἄριστος, cum olim scripsisset γὰρ ἄριστος, quod exstat in editione Schneidewiniana. De Bacchylide et Ibyco non est, quod disseram.

§ 6.

De nominum flexione.

Praemonendum est, vetustarum illarum casuum determinationum apud unum Ibycum exstare exempla, cum Simonides, quamquam multo plura fragmenta servata sunt, praebet nulla. Suffixum -φι(ν), iam epicae linguae proprium, Ibycus servat his locis ὄχεσφι 2, 5 (Urs. ὄχεσι) et Λεβναφιγενής 56. Neque minus prisca aevi monumentum existimandum est παιδόθεν, quod e παις et locativi suffixo -θεν compositum legitur 1, 10. Simonidem illud suffixum φι retinuisse, nulla re probari potest. Nam τέκνοφι 37, 17, quod in corrupto carmine coniecerunt, cum Reg. Guelf. Ald. κνάφι δίκας exhibeant, reiecit neque in textum recepit Bergkiius. Transgrediamur iam ad

1. eas stirpes, quae cadunt in α. Cum de α pro η littera in determinationibus, de doricis genetivis verbisque cum -λαος compositis dictum sit, perpauca digna sunt, quae commemorentur. In epigrammatis enim praeter doricis et epicis formas genetivi vulgares occurrunt Ἰππίων Sim. 111, 2 (nomen Atheniensis) et Περσῶν 100, 1 et epica forma Ὀθρονάδαο +182, 5. Quoniam tres illi lyrici, quibuscum Pindarus conspirat, in melicis carminibus ubique α pro η in determinationibus ponunt, nullum exemplum formae dativi in -ησιν exeuntis inveniri non miraberis.

Exstant autem formae et longior in -αισιν et brevior in -αις exeutes, e quibus hanc Homerus in tribus illis vocabulis ἀκταῖς, θεαῖς, πάσαις, Hesiodus frequentius adhibet (cf. Rzach d. d. Hesiod. p. 400). Apud Simonidem suppeditantur dativi exempla haecce: Θερμοπέλαις 4, 1 (A H Diod. Θερμοπέλαισι) ἀρούρασι 15, 2 ἀνδιάνταισι 37, 3 (coniect. Brunckii, locus valde corruptus est) ἀκόαισι 41, 3 θαλάσσαισι δίναις 57, 4 (Cobetius δίνης scribere non debebat) πάσαις 68, 1. In epigrammatis legitur προχόησι 120, 1 παλάμησι 157, 3 Τυνδαρίδησι (libr. Τυνδαρίδαισι) 174, 1 ψυχαῖσι 115, 1 μίτρασι 148, 3.

De accusat. plur. nihil addendum est, nisi quod uno loco ep. 98, 3 dorico more syllaba ας corripitur Πέρσας ἔλόντες. Pindarus praeter vulgares retinet doricis formas

a librariis certe saepe oblitteratas, quas Peter p. 34 in primis in numeris logaedicis admissas esse suspicatur. Quam correptam formam quamquam nonnullis locis apud Hesiodum invenimus, iure a Simonide, quem nisi quod litteram *α* pro *η* posuerit dorismos non adhibere supra diximus, abiudicamus et ita quidem, ut totum epigramma recentioris temporis esse censeamus. Accedit, quod viri docti aliis causis permoti iam eandem tulerunt sententiam de hoc epigrammate. Legitur apud Dionem Chrysost. et omisso nomine apud Plutarchum. Dionem Simonidis nomen novisse, ignorasse Plutarchum non ita presserim; multo magis autem in lectionis discrepantia inter Dionem et Plutarchum offendendum est. Plutarchus enim verbo *ἐνθάδε* utitur, quod male quadrat in ea, quae antecedunt. Id intelligens Dio verbis mutatis lectionem praebet *ἔπειτα δέ* multo deteriore. Cur enim facile hostium copias fugaverint ei, qui pro patria mortem occubuerunt, non intelligitur, cum fortissime eos certavisse et hostes debellasse exspectemus. Denique dicunt scriptores *Πέρσας ἑλόντες καὶ Μήδους*, quasi id aetatis plane diversi essent Persae et Medi. Optime igitur in eas causas, quas iam Kaibelius protulit, convenit, quod de forma monuimus. Cum Simonide faciunt Bacchylides et Ibycus. Conferas autem *νίκαις* Bacch. 8, *νεανίαις* 24, *γνώμασι* 43, *μανίαισι* Ib. 1, 9 (ita Ath. B, *μανίαις* PVL) *παλάμασι* 22, 1.

Brevior nominativ. mascul. forma in *α* exiens a grammaticis Aeolibus tribuitur. Itaque apud Simonidem unum exemplum traditur fragm. 41, 2 *ἀήτα*, quod Bergkii ex *ἄητα* corruptum esse censet.

2. De nominibus, quorum stirpes exeunt in *ο*. Atque primum quidem agamus de antiquiore et pleniore forma genet. in *οιο* et dativ. in *οισι* desinentium. In melicis carminibus excepto uno *Πριάμοιο* in fr. 9, 1 Ibyci, qui amantior formarum epicarum videtur fuisse, nullum invenimus exemplum genetivi hoc modo formati. In epigrammatis autem, utpote quorum hexameter talibus formis faveat, saepius occurrunt, cum in pentametro ab utroque fine hemystichii exclusae rariores esse debeant. Et genitivos ante caesuram primariam positos habes hos: *Γλαύκοιο* 84, 3 *κλείτοιο* 94, 1 *ἀποφθιμένοιο* 113, 1 *Κείοιο* 129, 1 *πτολέμοιο* 143, 1 *Οδλύμοιο* 168, 1 *νιφετοῖο* +179, 1.

Dativi pleniore determinatione instructi sunt in melicis carminibus *πετάλοισι*, *στεφάνοισι* Sim. fr. 10, *κνάνοισιν ὑπὸ βλεφάροις* (cod. Darmst. Plat. Parm. -οισι) Ibyc. 2, 1 *φοδῶοισι* 5, 3 *πετάλοισιν ἐπ' ἀκροτάτοισι ξανθοῖσι* 8 *θνατοῖσι* Bacch. fr. 2, 1 *παύροισι* fr. 3, 1 (ita Steph. vulgo *παρ' οἷσι*) *ἀθανάτοισι τε καὶ θνατοῖς* 9, 3 *ἀφθεικτοῖσι* 11, 2 *θνατοῖσι* 13, 1 *θεοῖσι* 13, 3 *βροτοῖσι* 19, 1 *θνατοῖσιν ἄλλοισι* 21 *Διονυσίοισι δώροισι* 27, 4 *ἀνθρώποισι* 29, 3 *δειλοῖσι* 30 *βροτοῖσι* 35 *θνατοῖς* 36 (e coniect. Nevii, vulg. *θνητοῖς*). Multo minus breviores formae occurrunt, septem apud Bacch., quattuor apud Ibycum.

In epigrammatis Simonid. leguntur ante caesuram primariam *ἀνθρώποισι* ep. 85, 1 *στέροισι* 106, 1 *ἀποφθιμένοισι* 123, 1 et in thesi quinti pedis *προμάχοισι* 103, 4. Pindarum eandem rationem in determinationibus adhibendis sequitur. Omnino autem abhorret ab usu Homericis, quod Ahrensius ep. 96, 2 *θανάτοισι* littera *ο* elisa scribendum esse censet. Eundem genitivum tribus locis Pindari admitti Peter suspicatur. Sed ut God. Hermanni ad Orph. 722 sententiam repetam, vehementer secum repugnassent poetae graeci, si formas vocabulorum ob id ipsum inventas (non inventas, sed servatas

dicere debet), ut locum deficientis in versu syllabae explerent, rursus decurrerent quam communibus uti maluissent.

Nunquam, si quidem id e fragmentis colligere licet, poetae accusativos plur. syllaba correpta, ut Ahrensis teste (d. d. II, 172) in Doride mitiore inveniuntur. Duo autem, quos metrum tuetur, apud Pindarum exstant.

3. De nominum declinatione, quae in consonam exeunt. Missas facientes stirpes, quae cadunt in gutturalem, labialem, dentalem, liquidam consonam, cum nihil singulare disputandum suppeditent, transeamus iam ad stirpes in *ι* vocalem exeuntes. Ex iis autem ut *Παρι-Θετι-* paulatim exortas esse illas in litteram *δ* exeuntes, luculentissime nobis persuasit Curtius (el. etym. 622). In fragm. 29, 4 pro tradito *Θέμιδος* scribendum esse *Θέμιτος*, Bergkiius coniecit. Stemma autem declinationis est hocce: nominat. in Sim. frag. 4, 3 *μῦσαις*, πόλις ep. 121, 2 rell.; genetivus nisi in epigr. non exstat: *μῦσαις* 94, 3; acc. *ἕβρον* Sim. 23, 3. ep. 132, 3, neutr. *μέλι* 47, 2; nominat. pl. *ἕβροις* ep. 84, 2, genet. *πόλειον* ex auctiore stirpe formatus, accusativ. in ep. 139, 2 et 142, 2. *πόλιος* ex auctiore stirpe productione suppletoria vide in ep. 104, 3.

Pindarus ubique litteram *ι* retinet, quam flexionem apud Iones, Dores Aeolique usitatam fuisse scimus. Dativi formas in *ει* exeuntes P. XII, 26, Ol. VII, 49 correxit Bergkiius, acc. in *-ας* exeuntes Peter a poeta abiudicavit.

Stirpes in *υ* desinentes praebent has formas: gen. *πολυβότρουος* Sim. 53, 3, accus. *γαῖραν* 41, 2, *μελιγγρον* ep. 148, 9. Apud Ibycum fr. 22, 4 legitur *ιχθύες*, quam formam solutam Sim. in 40, 2, contractam vero in accusat. *ιχθύς* ep. 163, 2 usurpat. Formae, quae ex auctiore stirpe elisa littera *υ* procedunt, ionico more non afficiuntur contractione. Inspicias *ἄστεος* fr. 48, qua in flexione cum Simonide congruit Pindarus. De soluta forma *μελιαδέα* Sim. 42, quippe quae dialectis quantum scio communis sit, non habeo, quod amplius disseram.

In flexione stirpium in *εν* cadentium *ε* vocalis littera *υ* vel *Ϝ* eiecta plerumque suppletoria productione mutatur in *η*, quo usu ne Atthide vetustiore quidem alieno Lesbii non abstinuerunt (cf. Ahrens. d. d. I, 117). In Bacch. fr. 42 habes *βασιλῆες* et in Sim. epigr. 108, 1 *ἔριστῆες*. Pindarus in nominativo utramque formam et in *ηες* et in *εες* exeuntem adhibet, uno loco excepto P. I, 65, ubi *Ἰωριεῖς* exstat. Accusativi forma contracta legitur ep. 155, 4 *ἀμφιφορεῖς*, quae cum alia doricæ dialecti vestigia insint, doricæ existimanda est. Genetivum *Τυδέως* Ibyc. 12 mutata quantitate ex pleniori forma natum cum Schneidewino in *Τυδέος* mutare opus non est. Idem poeta fr. 10 vocem *Ἵορσην* ostendit. Quaeritur primum, quinam casus sit *Ἵορσην* forma. Quomodo Bergkiius e Prisciani verbis colligat, poetam nominativum hoc modo formatum adhibuisse videri, cum Schneidewino vocativus placeat, me non intelligere confiteor. Verba Prisciani haec sunt: „In eus Graeca sunt et us in *ι* mutantia faciunt genetivum, ut hic Tydeus, Tydei. In huiuscemodi tamen terminatione quaedam inveniuntur mutatione eus diphthongi in es longum prolata, ut *Ἀχιλλεῖς* Achilles, *Περσεῖς* Perses, *Οὐλιξεῖς* Ulixes. In quo Doris sequimur, qui pro *Φυλεῖς* *Φόλης*, pro *Ἵορσεῖς* *Ἵορσης* et *Ἵορσην* dicunt, pro *Τυδέως* Tydes. Sic Antimachus in primo Thebaidos *Τύδης τ' Οἰνείδης*. Et vocativum in e productum *Τὸν καὶ φωνήσας προσέφησ' Οἰνίηε Τύδη*, teste Herodiano, qui hoc ponit in primo Catholicorum. Similiter Ibycus *Ἵορμακλιτὸν Ἵορσην*.“ (*Ἵορμακλιτὸν* plerique libri, *Ἵορση*

K, l in litura, D et R a. m. pr., "Ορρε G). Schneidewinus posterioribus lectionibus fultus atque mentem respiciens grammatici, qui pergit: „Et quia Graeci ab huiusmodi nominativis, id est, qui eus in es convertunt, vocativum in e longum terminant, ut ὦ Τύδη, ὦ "Ορρη, in eo quoque casu aliquando illos sequuntur Latini, ut Achille, Perse“, verba ita emendabat, ut ὄνομακλιτὸς "Ορρη vocativus sit. Cui interpretatione repugnat, quod „plerique“ libri adhibent accusativum ὄνομακλιτόν. Tum postquam grammaticus attulit exemplum e poetae carmine desumptum nominativi in ης et vocativi in η exeuntis, non „similiter“, sed eodem modo apud Ibycam vocalem e productam esse atque in Οἰνήϊε Τύδη Herodiani pergere debebat. Cui dialecto tribuendus sit accusativus, ambigitur. Nam Ahrensiō teste in Doridis purioribus fontibus nullum invenitur exemplum mutationis diphthongi εν in η, sed in dialecto arcadica ἐρηής pro ἐρεός usurpatur (cf. Ahrensiō II, 236 et I, 233). Undecunque poeta accusativum hausit, formam ad primae declinationis similitudinem formatam esse putamus.

Huc spectat dativus Πέρσει in Simonid. carmine 37, 4, quem cum vulgo legatur Περσεῖ, Bergkīus e Reg. Guelf. Ald. recepit. Denique in epigr. 118, 1 Σιώνπειος genitivus apparet, cuius brevioris formae iam Homerus offert exempla, sed nisi in nominibus propriis non deprehenduntur.

Stirpes, quarum σ eliditur, distinguendae sunt

a. in eas, quae cadunt in ες. Formis, quae vocalibus solutis εο et εω praeditae sunt, iam supra examinatis, restat, ut dativum sing. contractum non alienum usu Homericō afferamus in fr. Sim. 4 ἀνθει et in ep. 135, 2. 136, 2 πελάγει (in ultima arsi pentametri) ὀρθοκονταέτει 146, 2. 147, 12 (in tertia arsi pent.). Apud Pindarum plerumque legimus formas contractas, nonnullis locis, qui solutas exhibent, exceptis. In verbis cum κλέος compositis poeta ab epico more non recedit. Conferas igitur ἐκλεής Sim. 4, 2 et in epigr. 97, 1 ἐκκλέας.

b. Stirpes in ας, cum pauca exempla servata sint, eodem modo quo stirpes in ες exeutes tractatae videntur esse. Exstat γέρας Sim. fr. 5, 10 et 66 γήρας 36, 4 dativi soluta forma γήραι Ib. 2, 3 et Sim. ep. 116, 4. Pindarus praeter eas quas attulimus formas habet Ol. VIII, 71 genitivum γήραος. Duorum femininorum, quorum stirpes exeunt in ος, alterum αἰδώς legitur ep. 120, 1 Sim. Stirpes, quae antiquitus in οι, οφι exierunt, has formas praebent Γοργώ S. 116, 1 Σωσώ 165, 1, 2. Αστοῖ 134, 2. Unam formam ex eis, quae suffixi -ιον -οπε formantur, deprehendimus Sim. fr. 57, 5 ἦσσοι (acc. pl.). Quae forma ita explicanda videtur esse, ut ἦζιονσα = ἦσσονσα evaserit, postquam -ιοργ (cf. ijans) suffixum ad antiquam stirpem accessit. Qua ex forma litteris ν et σ eiectis cum ο et α vocales coaluissent, breviores procreatae sunt.

Adiungenda sunt nomina quaedam, quae vulgo ferunter anomala. Atque primum affero "Αρης, cuius nominativus Bacch. 36, 2 et dativ. correpta priore syllaba Sim. 43, 2 legitur, cum Pindarus eandem vocem adhibeat priore syllaba correpta et producta; genitivi "Αρηος exemplum legimus Sim. ep. 140, 1. Priores formas e stirpe "Αρε-, posteriorem ex auctiore ducendam esse vix opus est addere. Ξρος vocabulum exstat Ib. 1, 6 (ita Ath. A, PVL ξρος), fr. 2, 2 (cod. Darmst. schol. Plat. a. m. s. ceteri ξρος). Verbi Ζεός tres sunt stirpes, quarum primam ΔιF- (skr. div-) habes in voce Διός apud

Pindarum saepe usitata. Ex altera stirpe amplificata *Zev-* *ι* e. *Διευ-* (cf. skr. *djāu*) *Ζεός* Sim. fr. 12, 2 et 37, 17, in ep. 87 et 128, 2 formatum est. Abiecto *v* additoque *v* tertia exoritur *Ζην-*, quae legitur in voce *Ζηνί* Bacch. fr. 9 et Sim. ep. 144, 2. Apud Pindarum in usu sunt *Ζηνός* et *Διός*, *Ζηνί* et *Διί*, *Ζήνα* et semel certe *Δία*. cf. Peter. 42. Verbi *κάρα* hae leguntur formae: plur. *καρήατα* in epigr. Sim. 172, 2, qui numerus apud Iones usitator exortus est e *καρᾶ-Fat-*. Prima littera *a* elisa, fit *καῤ-Fat-*, digammo autem eiecto contractisque *a* et *a* *κατ-* quod legimus in genetivo *κατός* ep. 104, 4, cum in Sim. fr. 30, 4 *κάρα* nihil suffixi residuum sit. Apud Pindarum easdem formas inspicias P. I, 8; P. XII, 16 rell. *καῖς* praebet epicas formas *νήας* ep. 98, 3. 136, 3; genetivum *νηῶν* 105, 3. Epicam quoque formam adhibet Bacch. 27, 10 *νήες*, quam editores, cum Pindarus utatur voce littera *a* instructa, mutaverunt in *νᾶες*. Pro ionico *κληίς* e *κλαFιδς* att. *κλείς* exorto legimus doricam formam Sim. 23, 3, quam declinationem non nusquam habes apud Pindarum. *νίός* semel sonat more epico *νίες* fr. 36, 2. Apud Pindarum plerumque vulgari modo flectitur praeter tres locos, quibus *ύίες*, *ύίτων* legimus. cf. Peter p. 43. *χείρ* aut retinet aut eiicit in flexione litteram *ι*: *χέρια* Sim. 37, 4 *χειροί* fr. 5, 2 *χειρῶν* fr. 17 *χειράς* 8, 2. In epigr. conferas *χειῖρα* 141, 6 *χειρός* 136, 3 *χειροί* 116, 2 et 162, 2 *χειράς* 107, 8 et 114, 1.

§ 7.

De pronomibus.

1. Primae personae nominativus apud Simonidem *ἐγώ* sonat, cum Pindarus praeter hanc formam *ἐγών* quoque vetustissimam adhibeat atque sanscritae aham simillimam. Etiam secundae personae apud eundem poetam duae formae exstant *σύ* et doricam vel aeolica *τύ*, quae incipit ab antiquiore *τ*. Simonides autem vulgarem formam suppeditat in carm. 37, 6 et 49, sicut in epigr. 85, 13. Reliqui casus primae personae ducuntur a stirpe *με-*, *έμε-*, quae pura exstat in accusativo. Inspicias autem locos Simonid. 51 *μέ*, epigr. 128, 1 et 133, 1 *έμέ*. Accusativus *σέ* Sim. 55 et epigr. 113, 2. 119, 1 praebet meram stirpem e tva corruptam. Genetivi exemplum primae personae neque apud Simonidem, Bacchylidem, Ibycum neque teste Petro apud Pindarum deprehendimus, secundae autem personae legimus plenior formam *σεῖο* ep. 97, 1, cuius origo ita explicatur, ut ope suffixi *σjo* ex *σεσjo*, *σεῖο* evadat, eiecta autem littera *ι* vocalibusque *ε* et *ο* epico more contractis *σεῖ* ep. 130, 1 derivetur. Eadem stirps, quae in genetivo in dativo usurpatur; eo autem differt, quod non in *ει* ex Indogermanico *ai*, sed ad similitudinem locativi in *οι* exeuntis formata est. Itaque apud Simonidem et in enclisi et in orthotonesi leguntur *έμοι* ep. 124, 2. 188, 5. 171, 1, 2. fr. 37, 18. 48, 2 *τοί* fr. 37, 13. 79 ep. 164, 1. 176, 1. Cum Simonide facit Pindarus, nisi quod sicut in nominativo *τύ* ita in dativo *τίν* praebet. Quae forma ex *τείν* elisa vocali *ε* nata reducenda est ad stirpem *τFε* auctam suffixo *-φιν* = *τεφίν* = *τείν*. Quamquam a grammaticis saepius doricam dicitur, Ahrensius tamen cum apud nullum scriptorem doricam dialecti legatur, grammaticos propter doricam determinationem doricam putavisse suspicatur (cf. d. d. p. 252). Pluralis numerus in Sim. carminibus exhibet has formas: *ήμῖν* ep. 89, 1 et 95, 2; aeolicae autem, neque vero alienae usu Homérico ha-

bendae sunt ἔμμεν fr. 5, 18 (ab Hermanno correcto ex δμῖν) ἄμμεν ep. 99, 5 (e correctura Brunekii ex ἡμῖν) et 107, 9 (titul: ΑΕΣΤΟΙΛΕΑΜΜΙ). Formas ἄμμεν, ἔμμεν ad stirpes indogermanicas asma, jusma pertinentes Fritschius in commentatione, quam de hyphaeresi conscripsit, novo modo mihi quidem probato explicare studet, ut dativus ex ampliore stirpe ἔμμε-, quae in dialecto arcadica invenitur, et suffixo -φιν evadat, tum postquam φ aspirata evanuit, vocali ε per hyphaeresim elisa ἄμμεν fiat. cf. Fritsch. p. 37. Tertiae personae dativus sonat σφίσι, quod e stirpe σφε et durata spiranti additoque suffixo locativi derivandum esse existima. Legitur autem in Simon. epigr. 104, 3. 148, 5. 166 et σφίν ex σφεῖν per hyphaeresim decurtatum in el. 84, 5. Accusativi formam μν ex ζμμι (cf. emem, sese Latinorum) a librariis oblitteratam iure editores videntur restituisse in fr. Sim. 5, 4 (libri μῖν) fr. 12, 2. 31, 3. 37, 2 (libri μῖν vel μέν). Doricam formam νίν legimus apud Bacch. in frag. 8 et 29, 5, quam libri satis tuentur. Neque Ibycum eam sprevisse, fr. 2, 3 (unus cod. Darmst. ἴν', ceteri νίν) et fr. 22, 3 demonstrant. Accusativi formam ἄμμε, quam Valckenarius restituit e Dion. Chrysostom. verbis νῦν δὲ μετ' Αἰάντος, Plut νῦν δὲ ἀνάματος, in textum editores in ep. 98, 2 receperunt. Simplex stirps exstat in σφέ ep. 96, 3, forma dorica et Homérica, quacum conferas σφάς encliticam e σφέας, quae uno loco Homérico E, 567: μή τι πάθοι, μέγα δὲ σφάς, ἀποσφάλλειε πόνοιο per hyphaeresim facta est. Eas quas attulimus e tribus lyricis formas in Pindari carminibus occurrunt.

2. De pronomibus reflexivis adnotandum est, Pindarum, quamquam fluctuant libri, usum Homeri, qui nunquam usurpat formas compositas, non reliquisse. Apud Simonidem uno loco ep. 111, 1 εἰαυτοῦ forma invenitur, quae cum carmen e verbis Thuc. VI, 59 ad laudem Atheniensis compositum sit, satis habet excusationis.

3. Pronominum possessivorum praeter vulgares formas σφέτερον Sim. fr. 30, 4 ἐμῶν 37, 14 σφῶ ep. 116, 4 σήν 150, 4 unum exemplum doricae vocis, cuius usum Homerus ipse non spernit, legimus fr. 37, 9 τεῖν (coniect. Ahrens. libr. τεάν). A dorica stirpe ἔμμε- ducitur pronomen ἐμός, quo iam Homerus rarius certe quam ἡμέτερος, nonnullis tamen locis utitur. Sed me miratum esse confiteor, quod in editionibus exstat forma dorica et epica ἐμόν Bacch. 13, 11, cuius spiritus lenis cum a stirpe ἔμμε- descendat neque per se recte se habet neque apud Homerum optimis libris nititur. Accedit, ut, quamquam vulgo ἄμος legitur, cod. Stob. Vind. ἔμος praebeat spiritu aspero instructum. Apolloni testimonium conferas apud Ahrensium II, p. 262. Apud Bacchylidem 11, 1 dorica formam ἐμέτερον deprehendimus. Coniectura in textum receptum est εὐν λάπτεται 19, 5 (libri Stob. δόνι [Vind. αονι] ἄπτεται). Pindari ut afferam usum, et σός, τεός, σφέτερος et ἐμέτερος, ἐμός rell. semel εός, σφός usurpat.

4. De reliquis pronomibus perpauca adnotanda sunt. Articulum in epico sermone demonstrativi pronominis munere, qui usus ne Athide quidem alienus erat, et relativi fungi, inter omnes constat. Quod inde optime explicatur, quod Homeri aetate uniuscuiusque pronominis regnum nondum definitum erat certis finibus. Homeri autem consuetudinem poetae posteriores imitabantur. Inspicias sis locos Sim. τοὺς φιλέουσι fr. 15, 14 (e conject.) τὸν τέκεν 143, 2. Affero denique, doricum epigramma 157, 2 formas ostendere ab antiquiore τ' incipientes ταί, porro 107, 5 τοὶ μὲν — τοὶ δέ, iam ab Homero usitatas. Atque Bacchylidis τοὶ δέ fr. 33, 1 huc referendum est. Qua in

re cum Bacchylide facit Pindarus. Promiscue formae pronomini *κεῖνος* et *ἐκεῖνος*, cuius posterioris vocalis *α* ad radicem quandam a reducitur, et a Simonide et a Pindaro usurpantur. Conferas *κεῖνον* Sim. 39, 4 ep. 101, 1 et *ἐκεῖνων* fr. 60.

De formis *ύσσοσ*, *τόσσοσ* iam supra disseruimus.

§ 8.

De verbi formis.

De augmento. Cum iam supra de productione verborum a littera *α* incipientium disputaverimus, restat, ut Simonidem nisi in melicis carminibus hanc rationem non observasse addamus. In omnibus enim epigrammatis, etiam in eis, quae Doribus scripta esse coniecimus, *α* vocalis augmenti vi mutatur in *η*. Inspicias *ἤψαμεν* 99, 4 *ἤρκεσαν* 100, 2 *ἤρθη* 111, 4 *ἤρξε* 136, 1 *ἤρσο* 145, 1 *ἤρχεν* 147, 1 *ἠῶφρανεν* 155, 12. Verba, quae a vocali incipiunt, modo assumunt modo negligunt augmentum temporale. Itaque in Simonidis melicis exstant *εἴλετο* 4, 7 *παράῳξαν*, quod metri causa Hermannus e tradito *παρήῳξαν* correxit, *ἄνασα* 55, in epigrammatis eiusdem poetae *ἡμπλακες* 119, 4 *ἔλεν* 136, 3 *ἔλον* 142, 6 *ἠρείσαντο* 172, 2 *ἀοῖδησαν* 174, 1 *συνήρμοσε* 177, 1 *ἀποιόρξατο* +179, 3.

Augmentum syllabicum in Simonidis melicis carminibus deest: *βάλλε* 37, 4 *πέκεν* 43, 2 *ναῖεν* 48, 2 *νίκασε* 53, 2, in Bacchyl. fr. 3, 1 *δῶκεν*, Ibyc. 5, 3 *θρέψαν* 16, 2 *κάνον* 22, 4 *νέμοντο*. Aliis vero locis Bacchylidis et Ibyci assumitur. Conferas ex. gr. *ἔποσεν* Bacch. 1, 1 *ἔφν* 1, 3 rell., Ibyc. *ἔβα* 2, 5. In epigrammatis modo negligitur modo assumitur *κτεῖναν* 94, 2 *βούλοντο* 105, 2 *ἐνίκα* 153, 1 *ἔφερον* 163, 2 rell. Eandem rationem Pindarum secutum esse iam Boeckhiius (vol. I, xxxvi ed. mai.) demonstravit, praeterea inspicias locos a Petro p. 58 seqq. congestos. Epicum usum poetas et in epigrammatis et in melicis carminibus retinuisse apparet.

Exemplum reduplicationis apud poetas non exstat, nisi quod Sim. fr. 41, 3 *ἀραρεῖν* infinitivum legimus, quocum conferas *ἀραρα* Pindari Nem. III, 64, V, 44 rell. Hoc loco affero, determinationem *ατο* vocabuli *εἴλετο* in libris traditam iam ab Hermanno emendatam esse. Miras illas formas et determinatione *-σι* praeditas, quibus Ibyci schemati nomen grammatici indiderunt, tribus locis Ibyc. fr. 7, 1 *ἐγείρησι* 9 *ἔχρησι* Bacch. 27, 2 *θάλλησι* legimus. Facile esset formas explicare, si *ἔχρησι* rell. coniunctivi essent, quam sententiam Bergkiius secutus videtur esse (cf. adnot. ad Ibyc. fr. 7). Schneidewinus Ibycum e Rheginorum dialecto formas hausisse censet, Ahrensius autem eas a nullo unquam Graecorum populo usurpatas, sed a poetis Homeri locos nonnullos male interpretatis procusas esse arbitratur. Qua sententia testimoniis grammaticorum valde repugnante, reliquum est, quod primus protulit Westphalius Meth. Gramm. II, 38, ut verbum *ἔχρησι* nova litteratura recepta errore scriptum sit pro *ἔχρησι* rell. Utrum autem e dialecto Rheginorum, qui dorico more in III. pers. *τι* suffixum pro *σι* usurpasse dicuntur, an aliunde Ibycus hauserit, quod cum migrans poeta esset, facile fieri poterat, in dubio relinquo.

Differt Simonides a Pindaro de determinatione III. pers. plur. Is enim ex

auctoritate codicum et doricam et aeolicam formationem usurpat, apud Simonidem autem uno loco forma fr. 57, 6 doricā *θραδόντι* exstat, cum aeolicas in *-οισιν* exeuntes, quippe quae nulla auctoritate codicum confirmatae ab editoribus in Simonidis carmina illatae sint, iam supra reiecerimus. Num *βριθοντ'* Bacch. 13, 12 pro *βριθοντι* habendum sit, quod Bergkio videtur probari, cum *φλέγονται* versus sequentis in *φλέγοντι* mutandum esse coniciat, ambigere licet.

Omisso participio *πράξαις*, de quo supra diximus, ad infinitivos transeamus, qui praeter vulgares formas his determinationibus instructi apparent: *ἔμμεναι* Sim. fr. 5, 9 et 10 *ἐδρέμεν* 30, 3 *μυγνόμεν* 31, 2 *γηρασέμεν* ep. 85, 9 (libr. *γηρασσέμεν*) *προδόμεν* 137, 4 *ἐνθέμεναι* 141, 2 et 145, 2 (duobus posterioribus locis in fine hexametri et in paenult. pede pentametri). Antiqua infinitivi formatio ita facta est, ut ad mana terminationem dativi suffixum accesserit, quam sententiam Curtius nunc quidem tuetur. Qua ex forma cum doctus ille vir syllaba *αι* abiecta determinationem in *-μεν* neque Homero neque Aeolibus alienam ortam esse quondam censuisset, nunc infinitivos in *-μεν* locativi suffixo formatos esse proponit. (cf. Curt. verb. graec. II, p. 105.) Ex altero suffixo *εν* cum locativi determinatione composito, sicut e *μεν* abiecta littera *ι* *μεν* natum est, infinitivi in *εν* exeuntes oriuntur, qui contractione cum thematica vocali facta sonant in *εν*. Exemplum terminationis *εναι* Homero ignotae apud tres lyricos non exstant. Ut Pindari usum comparemus, aut formam vulgarem aut in *μεν* desinentem et eam quidem in infinitivis praes. et aorist. II, semel fut. pass. aor. I pass. deprehendimus. Utrum infinitivi in *εν* desinentes genuini an spurii existimandi sint, ambigere licet. Quamquam titulis quibusdam creticis, delphicis, aliis, quos inspicias apud Curtium p. 102, confirmantur, cum Pindari aetate *ε* pro *η*, *ει* scriberetur, tamen negligentia librariorum nova litteratura adhibita fortasse relictis sunt.

His praemissis iam transeamus ad singulas quasdam quas praebet coniugatio in *μ* exiens proprietates. Atque primum adnotandum est, duobus locis III. personae sing. suffixo *τι* instructas apud Simonidem inveniri *φατι* fr. 5, 9 et *δίδωτι* fr. 18, 1. Apud Pindarum uno loco J. II, 9 *ἐφίητι* exstat; praeter vulgares formas praebet eas quoque, quae sequuntur flexuram verborum in *ω* desinentium et ita quidem, ut ultima vocalis stirpis loco thematicae habeatur. cf. Peter p. 62. Aliquot locis, qui nisi in epigrammatis non exstant, habes secundum epicorum consuetudinem breviorum determinationem pro vulgari in *σαν* exeunti, quam non mira quadam contractione, sed simpliciore ratione e stirpe verbi ipsa formatam existimamus. Conferas *ἔτιαν* 107, 7 *ἑστάθεν* 137 *ἀνέθεν* 134, quod coniecit pro tradito *θέσαν* Blomfieldius. Neque Pindarus epicum morem secutus talibus formis abstinuit. Ex imperativis *πλήθι* Sim. 85, 19 *γνώθι* 143, 9 et in melico carmine *συγγνώθι* 37, 19, quippe qui a vulgari usu non recedant, nihil discimus, sed alia esset ratio condicioque, si recte se haberet forma *ἔλλαθι*, quam Schneidewinus recepit. Cum autem in libris neque *ἔλλαθι* neque *ἰλλαθι*, sed *ἴλλαθι* inveniatur, quod recte descendit a verbo *ἴλλω*, non est, quod amplius disseram.

Neque vero praetermittendum est, exemplum formationis, quae vulgo dicitur aeolica, exstare in Sim. fr. 5, 19 *ἐπαίνημι*, quod verbum respondet Pindari *αἴτημι* fr. 132, 4, cum

iam Hesiodus forma *αἶνῆμι* adhibita praecisset. Quas formas priscae coniugationis verborum contractorum monumenta esse, egregie exposuit Curtius verb. graec. I, p. 352.

De verbis in *ω* desinentibus nihil singulare afferre possum, nisi quod ut plerumque in carminibus Homericis et semper in Iade recentiore e vocali sive auxiliaria sive ad radicem *εσ* pertinenti elisa littera *σ* cum vocali, quae sequitur, contractione non afficitur, quam formationem, testimoniis grammaticorum repugnantibus, Ahrensius I, p. 131 Lesbiorum propriam fuisse censet. Inspicias sis Simonid. carm. 5, 16 *βαλέω*, *ἀπαγγελέω* 5, 18.

Quamquam magno consensu grammatici Aeoles verborum liquidorum futurum et aoristum littera *σ* formavisse contendunt, tamen Ahrensius d. gr. I, 131, cum exempla nisi e lingua Homerica deprompta aut etymologiarum ineptarum causa male ficta non offerant, fidem eis non habendam esse merito censet. Huiusmodi exemplum occurrit in Bacchyl. 3, 3 *ἐγκύρσαντα*, et in Sim. ep. 120, 3 *κύρσαντα*, quo de vocabulo conferas Pind. Ol. VI, 7. P. X, 21.

Proximum est, ut duas formas satis miras et obscuras afferam, quae in etymol. Magn. traditae sunt. Verbum *ἤλαστο* Ibyco fr. 54, quod e verbis lexicī 428, 28: *ἤλαστο βοῦς Ἰβυκος παρὰ τὸ ἤλαστο* Ibyco tribuitur, ad stirpem quandam *ἐλα-* reducendum videtur esse. Idem lexicon affert 273, 28: *διέφρασαι παρὰ Ἰβύκῳ ἐστὶν ἐφθαρσαι καὶ κατὰ πάθος ἐφαρσαι καὶ κατ' ἐπέφθειον ἐφρασαι καὶ διέφρασαι*. Quam formam nullo alio modo vereor ne quis explicet, nisi quod litteram *φ* ut saepius per metathesim in syllabam antecedentem transcendisse, tum *θ* litteram ut in *ἐσθός* simil. elisam esse existimat.

Formae verborum, quae post vocalem thematicam consonam *j* amiserunt, modo solutae sunt modo contractae. Atque primum verborum in *εω* desinentium vocales *ε* et *ε* vel *ε* et *ει* ut in Doride mitiore in *ει* coalescunt, cum severior et Lesbiorum dialectus *η* praeferant. Doris autem est tam adamans contractionis, ut etiam in eis verbis, quorum stirps monosyllaba est, eam non aspernetur. (cf. Kühner. gramm. I, p. 163.) In Simonidis melicis carminibus et in Bacchylidis forma contracta exstat. Habes igitur *μαρτυρεῖν* 4, 7 sim., in Bacch. fr. 3, 3 *ἐννεῖσθαι* sim. Formam *φορεῖντες* 41, 2 iam supra attigimus. Propius autem Simonides accedit ad varietatem Homericam in epigrammatis: *νοεῖ* 85, 8 *ποθεῖ* 93, 1 *τρομέειν* 130, 2 *χεέτω* 168, 6. Verbi *αἰνέω* forma vocali *η* praedita *αἰνήσειε* legitur in Simonidis carmine 57, 1, quo in usu cum Simonide Pindarus facit. (cf. e. gr. P. III, 13.)

Iam in Homeri carminibus saepius invenitur in verbi formis elisio vocalis *ε*, quae hyphaeresis in recentiore Ionum dialecto eo progressa est, ut Herodoti aetate in imperfecti et imperativi formis *ει* semper corripereetur. Interdum apud alios scriptores occurrit. Cuius correptionis fr. 29, 3 exstat exemplum *μίμειο*, cum apud Pindarum tale quid non invenerim.

Verba in *αω* desinentia omnibus locis patiuntur contractionem et epica forma *παμφανόωντα* Ib. 3, quae a stirpe *παμφανα-* descendere dicitur, excepta nusquam usurpantur formae distractae vel, ut Curtio iure placet, assimilatae. Exempli causa profero: *βιάται* Sim. 76 *ποιᾶται* Ib. 28 *συλάται* Bacch. 13, 10. In Simonid. epigr. leguntur *ὄρᾶν* 117, 2 *βοῶσι* 117, 6 sim.

Verborum in *oo* formae apud tres poetas exempla non traditae sunt, apud Pindarum semper contrahuntur, si quidem id e paucis exemplis coniecimas.

Omnes denique verbi substantivi formae, quae apud tres illos poetas exstant, apud Pindarum deprehenduntur. Inspicias ἦ Sim. 5, 3 ἐόν 32 ξιμεναι 5, 9 et 10 ἔσονται 32, 2, in Bacchylidis frag. 42 ξυνέασι. Et in epigrammatis Sim. leguntur εἰμί 152, 1 ἔσοί 154, 1 ἐοτί 85 rell. Qua in ratione poetas epicum morem secutos esse conspicuum est.

§ 9.

De praepositionibus.

De praepositionibus, quibus Simonides in melicis carminibus utitur, cum a vulgari usu non recedant, nihil proprii afferre possum. In Ibyci autem carmine 2, 4 legitur praepositio *ποτι γήραι* et 26 *ποτι μάργον στόμα ἔχων*. Ter praeterea ea vox, quae Dorum propria ab Homero usitata non aliena est usu Pindarico, in Sim. epigrammatis deprehenditur: *ποτι τέγμα* 83, 3 *ποτι κίονα* 144, 1 *ποτι Πιση* 156. Aeolicum *πεδά* pro *μετά* Ibycus usurpat in fr. 22, 3 *πεδ' ἀναριᾶν*. Apocopen patiuntur *ἀνά* et *παρά* in ep. 115, 2 *πὰρ νεοτητι* et *ἀνθηκε* 155, 1. Coniectura Ibyc. 27, 4 Nevius *ἀμιγνυμένα* restituit pro *ἀναμιγνυμένα*, quod vulgo legitur.

§ 10.

Quae ex eis, quae antecedunt, colligenda sint.

Reliquum est, ut res dispersas et diffuse dictas unum in locum cogam et unum sub adspicuum subiiciam. Perlustranti mihi formarum catalogum, cui componendo satis operae impertivi, ut pauca me effugisse sperem, colligendum videtur esse, id quod caput est disputationis, poetas et in epigrammatis et in melicis carminibus non ad arbitrium formas iunxisse, sed in miscendis dialectis genere poesis, quod excolebant, cohibitos esse. Atque ut ordiar

1. ab epigrammatis, quae sub Simonidis nomine feruntur, in omnibus carminibus eadem dialectus inest et ita quidem, ut e dialecto sola nihil colligi possit, utrum epigramma spurium sit neene. Principalis est epica dialectus, fortasse a Simonide primo in condendis epigrammatis usurpata, quae rebus quibusdam ab Homericis lingua differt. Nusquam enim determinationes vetustas in *σθα*, *μεσθα*, *θεν*, *φιν* exeuntes invenimus, cum sedes versus genetivos in *οιο* desinentes satis tueantur. Digamatis vis in eisdem vocabulis, in quibus apud Homerum conspicimus, retinetur. Quamquam epica dialectus pro fundamento habenda est, tamen poeta nonnulla e doricis dialecto usurpat in eis epigrammatis, quae Doribus, ex attica in eis, quae Atticis scripsit. Praeterquam quod *α* ponit, quod Iones in *η* mollitiebant, doricis dialecto non utitur. Epigrammata, in quibus reconditiores doricis formae occurrunt, cum aliunde aliae iudicii ansae offerantur, subditicia existimanda sunt. Confusio determinationum, quae nunc in editionibus legitur, ab aetate Simonidis aliena est atque ingenio. Videamus iam, quomodo

2. in melicis carminibus dialecti coniunctae sint. Quamquam ex epica poesi et doricis et aeolicis poetae pendent, tamen eisdem finibus non cohibentur, si quidem

praesidium artis criticae, codicum auctoritatem, observamus. Itaque poetis intra fines trium illarum dialectorum ad arbitrium formas miscere licuit. Non recte igitur editores ad similitudinem alterius poetae dialectum restituerunt. Angustissimis finibus aeolici sermonis proprietates circumscriptae sunt, cum nisi productio suppletoria in *oioa* exiens, quam diverso modo poetae usurpant, ususque praepositionis *περά* apud Ibycum, verbi *ἀνῆμι* apud Simonidem vestigia non exstent. Paulo latius dorica dialectus patet et ita, ut tres lyrici de usu litterae *α* pro vulgari *η* consentiant. Ad doricum sermonem apud Ibycum *δρα, νιν*, apud Simonidem *ῥαῖοντι, δίδωτι*, apud Bacch. *νιν*, fortasse *βραῖοντι* referenda sunt. Itaque epica dialectus pro fundamento habenda est. Artis dialectorum miscendarum antistes est Simonides, cum obsoletas formas in *φω, θεν* exeuntes et quae nimis propriae sint dialectorum evitet. Haec ex antecedentibus colligimus, quorum tantulum nostrum est, quantulum in quaestionibus grammaticis esse solet, quibus cum alii viri docti operam navaverunt tum H. L. Ahrensium, dux et signifer noster in dialectis graecis cognoscendis. Quod lector ne iudicio animi repudiet, oro rogoque.

Scribebam mens. Mart.

V. Schaumberg.

Addenda et corrigenda:

In disponenda materia capitis primi Geerthium in Curt. stud. vol. I, in § 2 B capit. II Ahrensium, § 6 Curt. gr. gr. secutus sum.

- Pag. 6, v. 32: lege epicae dialecto non suam immiscebant.
 „ 22, „ 9: tradita.
 „ 23, „ 10: del. quod.
 „ 24, „ 19: leg. veri pro versi.
 „ 32, „ 18: leg. eae formae.

